

ecclesiarum in executione supradictorum omnium et singulorum destinatum, applicatorum, unitorum et assignatorum (quorum omnium, ac fundationum, ac fundatorum testamentorum et dispositionum tenores, necnon singularum ecclesiarum, cappellaniarum et aliorum beneficiorum, aliarumque rerum et praedictorum, apothecae, censuum et aliorum bonorum praedictorum situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates et quantitates, verosque annuos valores, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, ac fundatorum voluntates, si in aliquo obstant, et in quoad<sup>1</sup> supradicta omnia et singula, sufficienter, specialiter et expresse, motu, auctoritate et potestate supradictis, commutamus), aliisque quibusvis apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac monasterii et Ordinis praedictorum, et singularum confraternitatum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, illorumque omnium superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis clausulis et etiam irritantibus decretis, in genere vel in specie, aut aliâ quomodolibet, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quavis alia expressio habenda seu quomodolibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliâ in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et

<sup>1</sup> Ughellius haec legit in et quoad (R. T.).

expresse, motu, auctoritate et potestatis plenitudine similibus, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 12. Volumus autem, et eadem apostolicâ auctoritate decernimus, quod si praedictorum, censuum, apothecae et aliorum bonorum mensae capitulari praedictae pro dote seu in partem dotis assignatorum valores et redditus assignati non sint iuxta eorum assignationes bonorum correspondentes assignationes<sup>1</sup> ad supplementum ratae deficientis de suo proprio omnibus iuris et facti remediis necessariis et opportunis ab Ordinario loci pro tempore existente, sive ab auditore camerae apostolicae, manu regiâ cogi et compelli possint et debeant.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, unionis, concessionum, assignationum, incorporationum, applicationum, reservationis, indulti, impartitionis, derogationis, commutationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXVI<sup>2</sup>, XII kalendas martii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 18 februarii 1636, pontif. anno XIII.

DXXXVII.

*Exemptio fratrum Reformatum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum congreg-*

<sup>1</sup> Sic legit etiam Ughellius in hoc loco, sed in loco parallelo alterius diplomatis aptius legit *assignatores*, de quibus vide supra § 7 (R. T.).

<sup>2</sup> Tum ed. Main. tum Ughellius in utroque diplomate legunt an. MDCXXXV, sed incohaerenter postea tum Ughellius tum ed. Main. notant pontif. an. XIII, nam mensis februarii anni XIII requirit an. MDCXXXVI (R. T.).

Potestas data episcopo cogendi quos spectat ad fundos assignandos pro dote capitularium.

Clausulae poenales.

*gationis Hispaniarum a iurisdictione, obedientia et superioritate ministri generalis fratrum Calceatorum eiusdem Ordinis<sup>1</sup>.*

Urbanus Episcopus,  
servus servorum Dei,  
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex quo regimen universalis Ecclesiae nobis a Domino commissum, meritis licet imparibus, suscepimus, primas esse officii nostri partes semper reputavimus, si pro multiplicibus ministeriis, quae in Ecclesia militanti ab illius fidelibus sedulo convenit exerceri, singulos operarios susceptis oneribus insistentes opportunis confoveremus praesidiis et aliis auxiliis. Proindeque curae nobis semper fuit, viros religiosos, eosque praecipue, qui, remoti a turbis, divinae vacantes contemplationi, in altum primaevi instituti montem iuxta normam a Sede Apostolicâ peculiariter illis praescriptam<sup>2</sup>, et non solum privatae sed publicae animarum saluti invigilantes, durâ servitute apud barbaros detentorum libertati et spiritualibus periculis fructuose insudant et consulunt, pro pastoralis officii nostri sollicitudine firmissimis munire praesidiis. Quod ut plenius nobis eveniat, illos pleni sui iuris efficimus, ac ab omnimodâ subordinatione et subiectione libenter emancipamus, atque etiam sub inviolabili Sedis Apostolicae protectione, paternâ benevolentia, recipimus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

§ 1. Cum pridem felicis recordationis Innocentius Papa III, praedecessor noster, Ordinem fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum sub propria regulâ, nutu divino sanctis patriarchis Ioanni et Felici illius fundatoribus traditâ, et ab

<sup>1</sup> De his fratribus vide Const. cxcii ipsius Urbani VIII, in tom. XIII, pag. 427 (R. T.).

<sup>2</sup> Forsan deest aliquid ex g. *contendentes vel conscendentes* (R. T.).

eodem praedecessore confirmatâ, instituisset<sup>1</sup>;

§ 2. Postmodum vero, cum, vel temporum iniuriâ, aut fervore remisso, vel certe hominum tepiditate, antiqua inolevisset observantia, laxiori modo vivendi paulatim invalescente, pia memoriae Clemens Papa VIII, praedecessor noster, motu suo proprio, in regnis Hispaniarum unam provinciam, seu Congregationem fratrum Reformatum et Discalceatorum eiusdem Ordinis, in qua primitiva regula cum antiquo et pristino illo rigore et spiritus fervore observaretur, et quae per unum ministrum provincialem, ex eisdem Discalceatis eligendum, regeatur, erexerit et instituerit; ipsamque Congregationem ac provinciam Discalceatorum huiusmodi ab aliis provinciis praedicti Ordinis fratrum seu Calceatorum, modificatae regulae, perpetuo seiunxerit et dismembraverit; ipsosque fratres Reformatos et eorum monasteria, tam erecta, quam imposterum erigenda, ab omni et quacumque iurisdictione, visitatione et superioritate, tam commissarii generalis, quam aliorum ministrorum provincialium, et aliorum quorumcumque superiorum Calceatorum seu modificatae regulae eiusdem Ordinis (excepto ministro generali totius Ordinis praefati, sub cuius obedientia et superioritate provincia ipsa illiusque domus et monasteria praesentia et futura semper manerent) perpetuo exemerit et liberaverit<sup>2</sup>;

§ 3. Et postmodum recolendae memoriae Paulus Papa V, similiter praedecessor noster, considerans, ipsam Congregationem fratrum Discalceatorum non mediocriter, benedicente Domino, in diversis dictorum regnorum partibus iam

<sup>1</sup> Vide Innoc. III, Constitut. xvii, *Operante*, tom. III, pag. 133 (R. T.).

<sup>2</sup> Vide Clemens VIII, Constit. ccxiii, (*al. 203*), *Ad militantis*, tom. x, pag. 529 (R. T.).

Clemens VIII instituit Congregationem fratrum Reformatum et eam non exemit a superioritate ministri generalis totius Ordinis.

Paulus V Congregationem Reformatum in duas provincias divisit.

tunc esse propagatam cum bonae fama-  
odore, nec non spiritualium operum in-  
cremento, eique plura illius monasteria  
per unum ministrum provincialem com-  
mode regi et gubernari non posse in-  
notescens, etiam motu suo proprio ex  
omnibus monasteriis et regularibus domi-  
bus dictae Congregationis duas provincias  
separatas, quarum quaelibet per unum  
ministrum provincialem ex praedictis fra-  
tribus Discalceatis eligendum governa-  
retur, instituerit; et deinde idem Paulus  
praedecessor facultatem concesserit eli-  
gendi ex ipsis Discalceatis unum praela-  
tum, vicarium generalem nuncupandum,  
cuius officium et potestas per sex annos  
durare, quique Congregationis praedictae,  
illiusque provinciarum et ministrorum,  
tam provincialium quam conventualium,  
superior existeret, atque plenam potesta-  
tem gubernandi dictam Congregationem,  
dicto durante tempore, haberet, ministro-  
que generali totius Ordinis subesset, et  
confirmationem suae electionis ab ipso  
obteneret<sup>1</sup>:

Urbanus concessit facultatem eligendi ex Discalceatis ministrum generalem.

§ 4. Subinde, cum rationi consentaneum non esset, ut qui arctioris regulae sectantur observantiam, superioribus, qui in laxiori degunt, subiaceant, sed superiores habeant proprii sui instituti, nos propterea motu nostro proprio et ex certa scientia nostra, deque apostolica potestatis plenitudine, Congregationi fratrum Discalceatorum huiusmodi concessimus facultatem eligendi unum ministrum generalem ex ipsis Discalceatis; statuentes, inter alia, quod electio huiusmodi maioris ac generalis ministri de sexennio in sexennium in capitulo generali per secreta suffragia iuxta concilium Tridentinum fieret<sup>2</sup>;

<sup>1</sup> Vide Pauli V, Const. cl., *Ex debito* et adiectam, *In supremo*, tom. XI, pag. 612 et 614 (R. T.).

<sup>2</sup> Litterae Urbani VIII huiusmodi desunt (R. T.).

§ 5. Cumque, post concessionem nostram huiusmodi, minister generalis ex ipsis Reformatis noviter electus confirmationem suae canonicae electionis, tamquam praelatus dicti Ordinis a Sede Apostolica immediate dependens, a nobis obtinisset, postremo etiam nos eidem Congregationi, ut capitulum generale Discalceatorum Ordinis et Congregationis huiusmodi, pro illius ministri generalis electione faciendam legitime congregatum, de cetero, perpetuis futuris temporibus, electionem ministri generalis in dicto capitulo generali factam confirmare libere et licite posset et valeret (ita quod minister generalis Discalceatorum huiusmodi noviter electus, et a capitulo generali confirmatus, nullam aliam confirmationem unquam indigeret), apostolica auctoritate concessimus<sup>1</sup>, prout in diversis litteris apostolicis desuper expeditis plenius continetur.

§ 6. Cum autem, sicut accepimus, quamvis praedicta Discalceatorum Congregatio vigore litterarum nostrarum huiusmodi facultatem habeat eligendi suum generalem ministrum totius Congregationis praedictae, et iam, cessante nomine vicarii generalis, satis appareat cessasse illam subordinationem vicarii generalis ministro generali totius Ordinis, cuius vices gerebat, et ad quem illius confirmatio pertinebat, nec par in parem habeat imperium; nihilominus, pro maiori quiete et spirituali progressu eiusdem Congregationis Reformatum huiusmodi, nos, dilectum filium fratrem Ioannem de Annunciatione procuratorem generalem dictae Congregationis amplioris gratiae favore prosequi volentes, ipsumque Ioannem necnon singulares personas Congregationis praedictae a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a

<sup>1</sup> Etiam secundae Urbani VIII litterae desiderantur (R. T.).

Auctoritatemque dedit confirmandi electionem praedicti ministri generalis ipsi capitulo generali.

Modo eximit hanc Congregationem a superioritate ministri generalis fratrum Calceatorum.

iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum praefatarum tenores, etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, non ad alicuius nobis desuper factae petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate, ex voto tamen venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum, quod de cetero praedicta Congregatio, aut illius religiosi, vel minister generalis, aliique praelati, superiores, officiales et personae, perpetuis futuris temporibus, ministro generali fratrum Calceatorum totius Ordinis praedicti, nunc et pro tempore existenti, in spiritualibus vel temporalibus minime subiaceant, aut subiecti et suppositi esse minime debeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus; ipsosque fratres Discalceatos, illiusque ministrum generalem, ipsiusque personas, conventus, domos, collegia, provincias, tam praesentia quam futura, res et bona, ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, subordinatione, obedientia, correctione, visitatione, gubernio, aut alia quavis iurisdictione, tam ministri generalis fratrum Calceatorum huiusmodi, quam aliorum praelatorum et superiorum quacumque auctoritate fungentium et functorum, et quantumvis amplissimis privilegiis et facultatibus utentium et usurorum, etiam quaecumque reformatum, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo eximimus, liberamus et dismembramus; illosque sic exemptos, liberatos et dismembratos, uti Sedi Apostolicae immediate subiectos, sub nostra et Sedis Apostolicae

tutela et protectione recipimus et admittimus.

§ 7. Omniaque et singula privilegia eidem Congregationi Reformatum, circa exemptionem huiusmodi, aut alias, per Sedem Apostolicam concessa, eadem auctoritate etiam perpetuo approbamus et confirmamus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiciamus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet invenerint in eisdem, supplemus.

§ 8. Decernentes praesentes, etiam ex eo quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, aut praemissis non consenserint, sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem Apostolicam, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data, per superiores Congregationis Reformatum huiusmodi quaecumque eligenda, concessas esse et fore;

§ 9. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, sublatam eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defi-

Approbat et confirmat privilegia.

Clausulae.

Clausula sublatam.

niri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio  
contrariorum.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac praefatis litteris Clementis et Pauli praedecessorum nostrorum huiusmodi, necnon in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam ministro generali fratrum non Reformatorem huiusmodi, illiusque provincialibus ministris, aliisque officialibus et superioribus ac personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac alias in contrarium forsitan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad haec servanda foret, eorum tenores pro plene et integre expressis habentes, motu pari de eadem potestatis plenitudine, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio-  
rum fides.

§ 11. Volumus autem, quod praesentium transumptis, vel earum copiis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo generalis vel procuratoris generalis huiusmodi, vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae mu-

nitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent publicatae vel ostensae.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, exemptionis, liberationis, dismembrationis, receptionis, admissionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beati Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Sanctio poe-  
nalis.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXV, pridie kalendas martii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 28 februarii 1636, pontif. anno XIII.

### DXXXVIII.

*Declaratio super facultatibus transferendi pensiones, seu, illarum loco, fructus, ac translationibus novisque reservationibus pensionum, seu fructuum antea translatorum<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Inter gravissimas<sup>2</sup> multiplicesque apostolicae servitutis curas, quibus iugiter premimur, illa etiam est, ne ecclesiae et beneficia ecclesiastica indebite contra aut praeter mentem Romani Pontificis praegraventur.

Exordium.

§ 1. Cum igitur ex translatione pensio-

Causae huius  
Constitutionis.

<sup>1</sup> Vocem *pridie* addimus ex Cherub. (R. T.).

<sup>2</sup> Quoad pensiones obtinendas, seu transferendas, vide in Const. cxii (al. 98) Pii V, *Sacrosanctum*, tom. VII, pag. 709. Reservationes autem pensionum perpetuarum super beneficiis ecclesiasticis et indulta imponendi pensiones etiam temporales revocavit Urbanus VIII Const. CCLIII (al. 233), *Sanctissimus*, tom. XIII, pag. 579.

<sup>3</sup> Constit. istam bis relatam in ed. *Main.*, nempe sub num. 503 et 517, nos semel damus (R. T.).

num onus illarum prorogetur seu extendatur de personâ ad personam, et saepe de infirmo ad sanum, et de sene ad iuvenem, in non modicum praedictum ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum ac illa pro tempore obtinentium, et propterea difficiliter concedatur facultas transferendi illas pensiones quae alias translatae fuerunt:

Declaratio, de  
qua in rubrica.

§ 2. Idcirco, ecclesiarum ac beneficiorum et illa obtinentium praedictorum detrimentis et incommodis, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione declaramus, omnes et singulas per Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, ac etiam per nos, ex quacumque causâ, etiam onerosâ, etiam ratione quorumcumque officiorum, etiam motu et scientiâ potestatisque plenitudine similibus, ac consistorialiter, etiam iteratis vicibus, et cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis, et aliis decretis, concessas et concedendas facultates transferendi quascumque pensiones seu fructus ecclesiasticos earum loco pro tempore reservatas et reservatos, aut, mediante earumdem pensionum antiquarum cassatione, de novo illas reservandi, necnon pensionum et fructuum huiusmodi translationes, seu novas reservationes, super quibuscumque ecclesiis, etiam cathedralibus et maioribus, ac monasteriis, etiam consistorialibus, ceterisque beneficiis, tam secularibus quam quorumvis Ordinum regularibus, et hospitalibus quomodolibet qualificatis, etiam cuiuscumque iurispatronatus, etiam laicorum, etiam quorumcumque regum et principum, illorumque fructibus, etiam incertis, et distributionibus, etiam quoti-

dianis, nunc et pro tempore factas et concessas quibuscumque personis, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis fuerint, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, etiamsi super facultatibus, translationibus, seu novis reservationibus huiusmodi lis seu lites in quocumque gradu, instantiâ vel tribunali pendeant indecisae, non potuisse nec posse cuiquam suffragari quoad pensiones seu fructus alias translatos, nisi in eis consensus pensiones aut fructus huiusmodi solvere debentium accesserit; aut, quod alias pensiones seu fructus huiusmodi translati seu de novo reservati fuerint, expressum sit seu exprimatur, vel clausula *etiamsi pensiones seu fructus huiusmodi forsitan alias translatae seu translati vel de novo reservatae vel reservati fuerint* apposita sit vel apponatur.

§ 3. Non intendimus autem praesenti constitutione comprehendere facultates, translationes et novas reservationes huiusmodi, pro quarum validitate hactenus lata esset sententia, quae in rem iudicatam transivit, vel pro quarum executione mandatum relaxatum et executioni demandatum fuerit.

Exemptio non-  
nullorum ca-  
suum.

§ 3. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac etiam camerae apostolicae clericos praesidentes, necnon causarum palatii apostolici et curiae eiusdem camerae generalem auditorem, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri ac interpretari debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausula sub-  
lata cum decre-  
to irritanti.

§ 5. Non obstantibus indultis, privilegiis et facultatibus, aliisque praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apo-

Derogatio  
contrariorum.

stolicis, ac cancellariae apostolicae regu-  
lis, etiam individua mentionem requi-  
rentibus, ceterisque contrariis quibus-  
cumque, illorum omnium et singulorum  
tenores pro plene expressis et insertis  
habentes.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub an-  
nulo Piscatoris, die VIII martii MDCXXXVI,  
pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 8 martii 1636, pontif. anno XIII.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu  
Christi MDCXXXVI, die vero XIV maii, su-  
pradicta Bulla, sive declaratio affixa et  
publicata fuit ad valvas basilicae Prin-  
cipis Apostolorum de Urbe in acie Campi  
Florae, ac aliis locis solitis et consuetis  
Urbis, per nos Paulum Bartoccium et  
Franciscum de Paulis Sanctissimi Do-  
mini Nostri Papae cursores.

ANTONIUS BARDUS, mag. curs.

DXXXIX.

Hebraeorum synagogae in ducatus Fer-  
rariae et Urbini et earum quaelibet  
teneantur singulis annis decem du-  
catos auri de camerâ solvere collegio  
neophytorum et cathecumenorum de  
Urbe<sup>1</sup>.

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum aliâ piae memoriae Iulius  
Papa III, praedecessor noster, in subven-  
tionem et alimoniam pauperis domus neo-  
phytorum ad fidem catholicam conver-  
sorum seu cathecumenorum Urbis nun-  
cupatorum decreverit, quamlibet synago-  
gam, adunantiam, seu universitatem he-  
braeorum Urbis et aliarum civitatum, ter-  
rarum et locorum mediate ditioni Sedis  
Apostolicae subiectorum, teneri solvere ei-

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

Nonnulli Pon-  
tifices a quali-  
bet hebraeo-  
rum synagoga  
decem ducatos  
auri de camerâ  
collegio neo-  
phytorum solvi  
decreverunt.

dem domui neophytorum ducatos decem  
auri de camerâ quolibet anno; quam con-  
cessionem nedum confirmavit, sed am-  
pliat felicitis recordationis Paulus Papa IV,  
etiam praedecessor noster, qui decrevit,  
ad eandem annuam solutionem cogendas  
esse omnes synagogas et adunantias he-  
braeorum etiam pro synagogis et adu-  
nantis extinctis, quae omnia fuerunt quo-  
que a recolendae memoriae Pio Papa IV  
confirmata;

§ 2. Verum, quia sanctae memoriae Pius  
Papa V etiam praedecessor noster eiici  
mandavit hebraeos a toto Statu Ecclesia-  
stico, exceptâ almâ Urbe nostrâ et civi-  
tate Anconae, et emolumentum gabellae,  
aliâs per similis memoriae Clementem Pa-  
pam VIII, etiam praedecessorem nostrum,  
impositae super universitate hebraeorum  
eiusdem Urbis ad favorem praedictae do-  
mus seu collegii neophytorum vel cathe-  
cumenorum usque ad summam annuam  
scutorum due mille quingentorum mo-  
netae, fuit ab eodem Clemente praedeces-  
sore reductum ad scuta octingenta annua  
ex quibus etiam trecenta fuerunt a praed-  
ictâ domo seu collegio dismembrata, et  
monasterio S. Mariae Magdalenae conver-  
sitatum Urbis perpetuo applicata; pro-  
pterea praedicta domus seu collegium  
valde in suis annuis redditibus laesum et  
damnificatum remansit et remanet:

§ 3. Quapropter nos, indemnitati prae-  
fatae domus seu collegii consulere vo-  
lentes, omnium praedictarum omnium et  
singularum concessionum et dispositio-  
num, cum inde sequitis quibuscumque,  
ac aliorum quorumcumque hic forsân de  
necessitate exprimentorum seu inseren-  
dorum tenores etiam veriores pro plene  
et sufficienter expressis et de verbo ad  
verbum insertis habentes, motu proprio,  
certâque scientiâ ac maturâ deliberatione  
nostris, deque apostolicae potestatis ple-  
nitudine, etiam ex voto congregationis

Cum tamen  
Pius V haebros  
a toto statu ec-  
clesiastico eiici  
mandaverit.

Et ideo prae-  
dictum colle-  
gium plurimum  
damni passum  
fuerit.

Urbanus di-  
ctam pecuniam  
a quolibet he-  
braeorum syna-  
goga, etc., du-  
catum Ferrar-  
riae et Urbini,  
solvi mandat.

nonnullorum praelatorum per nos ad id  
deputatorum, tenore praesentium, decla-  
ramus et decernimus quaslibet synagogas,  
universitates seu adunantias hebraeorum  
commorantium in civitatibus, terris et  
locis Status sive ducatus tam Ferrariae  
quam Urbini nunc et pro tempore exi-  
stentes teneri et obligatas fuisse et esse  
solvere praefatam summam decem ducato-  
rum auri de camerâ singulo quoque  
anno tam decurrendo imposterum, quam  
antea a die devolutionis ipsorum Statuum,  
sive ducatum ad ipsam Sedem Apostoli-  
cam decurso.

Cardinali  
collegii prote-  
ctori facultatem  
concedit dictos  
haebros ad id  
cogendi.

§ 4. Idcirco committimus dilecto filio no-  
stro Antonio tituli S. Honuphrii presbytero  
cardinali nuncupato, eiusdem domus seu  
collegii ac pro tempore existenti apud  
nos et Sedem apostolicam protectori, qua-  
tenus, iuris et facti remediis, etiam viâ  
executivâ, ac omni et quacumque ap-  
pellatione, nullitate, etiam ex tribus, ac  
in integrum restitutione remotis, easdem  
universitates, synagogas, seu adunantias  
hebraeorum in praedictis Statibus seu du-  
catibus ad Sedem Apostolicam aliâs devo-  
lutis, nunc et pro tempore habentium<sup>1</sup>  
existentes, et earum quamlibet, ad prae-  
fatam annuam praestationem ducatorum  
decem auri de camerâ pro earum quali-  
bet in die festo Omnium Sanctorum sol-  
vendam et exbursandam cum effectu ei-  
dem domui seu collegio neophytorum seu  
cathecumenorum, cogat et compellat.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras et  
in ei contenta quaecumque, etiam ex eo  
quod quicumque in praemissis interesse  
habentes, seu habere praetendentes, vocati  
et auditi non fuerint, aut praemissis non  
consenserint, seu causae, propter quas  
praesentes emanarint, adductae, verifica-  
tae, seu aliâs iustificatae non fuerint, aut

<sup>1</sup> Paulo ante ad principium pag. dictum fuit  
commorantium; heic forsân leg. habitantium  
(R. T.).

aliâ quavis de causâ, quantumvis legitimâ,  
iuridicâ et privilegiatâ, de subreptionis  
vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut  
intentionis nostrae vel alio quopiam de-  
fectu notari, impugnari, invalidari, in ius  
vel controversiam revocari, ad terminos  
iuris reduci, seu adversus illas restitutio-  
nem in integrum, apositionem oris, aut  
quodcumque aliud, iuris vel facti, gratiae  
vel iustitiae, remedium impetrari, seu eo  
impetrato quemquam uti, seu se iuvare  
in iudicio et extra nullatenus posse, sed  
eas semper validas, firmas et efficaces  
existere et fore, et dicto collegio plenis-  
sime suffragari; sicque per quoscumque  
iudices ordinarios et delegatos, etiam cau-  
sarum palatii apostolici auditores, ac  
sanctae Romanae Ecclesiae cardinales,  
etiam de latere legatos et nuncios, sub-  
latâ eis et eorum cuilibet quavis aliter  
iudicandi et interpretandi facultate et au-  
ctoritate, iudicari ac definiri debere, ac  
irritum et inane, si secus super his a  
quoquam, quavis auctoritate, scienter vel  
ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum  
derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et  
ordinationibus apostolicis, ac quibusvis,  
etiam iuramento, confirmatione apostolicâ,  
vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis  
et consuetudinibus, privilegiis quoque, in-  
dultis et litteris apostolicis, sub quibus-  
cumque tenoribus et formis, et cum qui-  
busvis etiam derogatoriis derogatoriis,  
aliisque efficacioribus, efficacissimis et in-  
solitis clausulis et decretis, in genere vel  
in specie, etiam motu proprio, et consi-  
stentialiter, et aliâs, in contrarium prae-  
missorum quomodolibet concessis, confir-  
matis et innovatis; quibus omnibus et  
singulis, etiamsi pro illorum sufficienti  
derogatione de illis eorumque totis te-  
noribus specialis, specifica, expressa et  
individua ac de verbo ad verbum, non  
autem per clausulas generales idem im-  
portantes, mentio seu quaevis alia expressio

habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII martii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 17 martii 1636, pontif. anno XIII.

## DXL.

*Prohibet Consilio Centum virorum civitatis Barchinonensis, quominus pro officiis, quae gratis concedi solent, conferendis aut obtinendis quidquam accipiant*<sup>1</sup>.

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Beltrandus de Suall, nomine dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Barchinonensis, quod aliis, sub die XIII novembris anni MDCXXXIV, a sapiente Centum virorum gubernis<sup>2</sup> dictae civitatis consilio statutum fuit, ut officia, quae gratis concedi solent, vendi non possent, nullusque consiliariorum huiusmodi quidquam directe vel indirecte, etiam ratione imbussulationis, a quoquam recipere posset pro concedendo, seu ut concedatur procurando, quovis ex dictis officiis. Quare, ut fraudibus et abusibus, qui forsitan circa praemissa orti sunt, seu oriri possent,<sup>3</sup> dictus Beltrandus nomine eorundem communitatis et hominum humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Forsan legendum *gubernii* (R. T.).

<sup>3</sup> Desunt verba *obviam iretur* (R. T.).

§ 2. Nos igitur, eosdem communitatem<sup>1</sup> et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinari, consiliariis praedictis praesentibus et futuris, ac quibusvis aliis personis, etiam ecclesiasticis secularibus et quorumcumque Ordinum ac militiarum regularibus, dictae civitatis cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis existant, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua nisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo absolvi nequeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, districte prohibemus, ne pro dictorum officiorum et cuiuslibet illorum, gratis ut praefertur concedi solitorum, concessione seu collatione aut imbussulatione, pecunias vel aliam rem aequivalentem per se seu interpositas personas directe vel indirecte, ac sub quovis quaesito colore, ingenio seu praetextu offerre, dare aut promittere vel exigere, sive etiam sponte oblatum recipere audeant seu praesumant.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatis, Ordinum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 9 aprilis 1636, pontif. anno XIII.

<sup>1</sup> Male edit. Main. legit *communitates* (R. T.).

Prohibitio, de qua in rubrica.

Derogatio contrariorum.

## DXLI.

*Commissio auditori camerae, ut contra Scalensem et Revellensem ac alios quoscumque episcopos in suis ecclesiis non residentes procedat, et ad residendum compellat*<sup>1</sup>.

Dilecto filio, moderno et pro tempore existenti causarum curiae camerae apostolicae generali auditori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,  
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum episcopus Scalensis et Revellensis non paruerit decretis sacri Concilii Tridentini.

§ 1. Exposuit nobis nuper dilectus filius commissarius generalis camerae apostolicae, quod, cum Honuphrius episcopus Scalensis et Revellensis contravenerit decretis sacri Concilii Tridentini, et litteris apostolicis praesertim a nobis super residentiâ editis<sup>2</sup>, ecclesiam Scalensem et Revellensem praefatam deserens, in partibus Lombardiae multo temporis spatio se detinuerit et detineat; propterea fuit personaliter coram dilecto filio auditore camerae, per nos etiam specialiter pro executione praefatarum litterarum deputato<sup>3</sup>, monitus ad docendum se paruisse litteris apostolicis praefatis super residentiâ, aliis videndum se declarari incidisse in poenas in eisdem litteris expressas; et deinde, servatis servandis, lata fuit contra ipsum sententia declaratoria incursus praefatarum poenarum, quae sententia eidem intimata fuit; et licet ipse debuisset praemissis reverenter parere, tamen mala malis addendo contumaciter in non residendo apud suam ecclesiam et non parendo praemissis continuavit et continuat in praeiudicium animae suae ac praefatae ecclesiae et animarum sibi commissarum.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Vide supra pag. 457 (R. T.).

<sup>3</sup> Litteras speciales deputationis auditori camerae directas vide supra pag. 491 (R. T.).

§ 2. Quapropter idem commissarius, ne tot defectus et excessus et transgressiones impuniti et impunitae remaneant, nobis humiliter supplicavit, quatenus facultatem opportunam promulgandi et infligendi contra ipsum episcopum contumacem excommunicationis maioris, aliarumque censurarum poenas tibi concedamus.

§ 3. Nos igitur, omnium et singulorum actorum ac processus contra praefatum episcopum fabricati, citationumque, intimationum, oppositionum, aliorumque praemissorum ac ceterorum quorumcumque hic de necessitate forsitan exprimentorum tenores ac<sup>1</sup> statum litis seu iudicii praefatorum pro expressis habentes, volentesque indemnitati animarum et ecclesiarum consulere, et omnibus remediis iuris, ut episcopi, quantum nobis ex alto conceditur, apud suas ecclesias resideant, providere, contumaciaeque et canonum transgressio fomitem non recipiant, sed in non parentes et inobedientes debitis poenis in aliorum exemplum animadvertere, motu proprio, certaque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi et pro tempore existenti auditori camerae per praesentes committimus et mandamus, ut tam contra praefatum episcopum Scalensem et Revellensem, quam contra quoscumque alios episcopos in suis ecclesiis, prout tenentur, non residentes, cuiuscumque qualitatis, status, conditionis et dignitatis, etiam specialem expressionem requirentes, in quocumque loco et ubique terrarum commorantes procedas et procedat, illosque ad residendum iuris remediis opportunis, etiam promulgando et infligendo contra ipsos et quemlibet eorum excommunicationis maioris aliasque censuras et poenas etiam eisdem ecclesiis ex eorum absentia

Commissarius facultates necessarias contra ipsum procedendi. petit.

Omnes actus contra ipsum episcopum factos validat Urbanus.

Facultatesque auditori camerae concedit contra eum, aliosque episcopos non residentes procedendi.

<sup>1</sup> Coniunct. ac nos addimus (R. T.).

gravatis<sup>1</sup> applicando, cogas et compellas, cum facultate procedendi contra ipsos etiam per edictum publicum, constito tibi summarie, et aliàs, quantum sufficere tibi videbitur, de non tuto accessu, aliisque omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis.

Clausulas ap-  
ponit.

§ 3. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis aut intentionis nostrae et quovis alio defectu impugnari non posse; sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis  
derogat.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae apostolicae regulis et conciliis generalibus<sup>2</sup>, etiam de duabus dietis; omnibusque et singulis, etiam individuum et specialem mentionem seu expressionem vel insertionem requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

. Dat. die 10 iunii 1636, pontif. anno XIII.

#### DXLII.

*Poenitentaria Lauretana eiusque poenitentiarum maiori poenitentiarum subiciuntur, cum nonnullis aliis decretis.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Attendentes universo gregi, in quo Spiritus Sanctus nos Episcopum posuit ad Ecclesiam Dei regendam, quam pretiosis-

<sup>1</sup> Nescio an error aliquis irrepserit (R. T.).

<sup>2</sup> Forsan legendum concilii generalis (R. T.).

simo sanguine suo Christus redemit, inter ceteras pastoralis officii nostri sollicitudines ac curas, eam praecipue vigiliam mentis nostrae oculis anticipatam experimur, qua et creditas nobis oves prospicimus et animarum consulimus saluti.

§ 1. Hinc, cum plura circa poenitentiarum nostrae officium ordinaverimus, aliquid etiam circa rectorem et poenitentiarum, ut vocant, minores sanctae Domus Lauretanae providere, illisque novam facultatem formam, qua deinceps utantur, praescribere duximus<sup>1</sup> opportunum, motu<sup>2</sup> proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, per praesentes, omnem potestatem et auctoritatem quamlibet tam ordinariam quam delegatam, nec non omnia privilegia, facultates ac indulta praefatis rectori et poenitentiarum hactenus quomodolibet concessa a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et praesertim a Clemente VIII (infrascriptis dumtaxat exceptis), omnino adimendes, revocantes et annullantes,

Urbanus tollit omnes facultates et privilegia minoribus poenitentiarum Domus Lauretanae.

§ 2. Statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictus rector et poenitentiarum auctoritati, potestati ac regimini maioris nunc et pro tempore existentis poenitentiarum, non tamen quoad observantiam suorum regularium institutorum, subiaceant quoad forum poenitentiale, prout supponimus et submittimus: ita ut deinceps nullus in praefatae sacrae Domus Lauretanae rectorum et poenitentiarum, ac poenitentiarum munus, illiusque administrationem aut exercitium, assumatur vel admittatur, nisi praevio examine per ipsummet maiorem poenitentiarum in signaturam poenitentiarum hic in Urbe faciendo, aut alibi, si magis ipsi visum fuerit expedire, committendo, fuerit approbatus, et praefatae

Illisque maiori poenitentiarum subicit.

<sup>1</sup> Videretur legendum duxerimus (R. T.).

<sup>2</sup> Videretur deesse itaque (R. T.).

approbationis litteras patentes ab eodem maiori poenitentiarum obtinuerit; declarantes nostrae mentis ac intentionis esse, ut praefati rector et poenitentiarum sint et esse censeantur deputati, ac imposterum deputentur, ad nutum et voluntatem praedicti maioris nunc et pro tempore existentis poenitentiarum.

Nonnullas facultates ipsi maiori poenitentiarum Lauretanae communi-  
caudas.

§ 3. Indulgemus vero, ut idem maior poenitentiarum praefatis rectori et poenitentiarum pro tempore existentibus concedere possit (salva tamen facultate addendi et minuendi quotiescumque eidem maiori poenitentiarum nunc et pro tempore existenti placuerit, iuxta tamen formam et tenorem litterarum nostrarum super facultatibus eiusdem maioris poenitentiarum per nos editarum, ut praefertur) usum virgarum<sup>1</sup> valeant in foro conscientiae tantum, et in ipsa dumtaxat ecclesia Lauretana, per se ipsos solos, absolvere, audita prius sacramentali et in actu ipsius sacramentalis confessionis, quascumque personas sibi confitentes, etiam regulares, cuiuscumque sint Ordinis, congregationis, aut instituti, etiamsi ex praecepto superiorum, vel eorum constitutionibus, etiam a Sede Apostolica approbatis, vel aliàs ex indulto apostolico, extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur.

Et quidem absolvendi a casibus reservatis, exceptis aliquibus.

§ 4. Item maior poenitentiarum illis etiam concedere possit facultatem ut praefertur absolvendi a quibuscumque casibus, etiam Sedi Apostolicae, ac etiam in Bulla Coenae Domini reservatis, iniunctis tamen salutaribus poenitentiarum, aliisque de iure iniungendis, infrascriptis tamen exceptis:

i. Haereticis, vel schismaticis manifestis, aut condemnatis, seu in iudicio delatis, ac denunciatis, necnon iis, qui ha-

<sup>1</sup> Verba praecedentia usum virgarum non intelligo; et praeter syntaxim sunt; iis praetermissis heic videtur deesse particula ut (R. T.).

bent complices, fautores vel receptatores, etiamsi mortui fuerint, vel etiamsi habeant solos conscios;

ii. Iis, qui scienter legerunt vel retinuerunt libros haereticos vel sortilegos sive negromanticos, aliosque libros contra fidem catholicam vel christianam religionem, si ipsi in iudicio delati sint, aut si habeant complices vel fautores, qui non degant aut nati non sint in regionibus palam infectis, seu in quibus haereses impune grassantur;

iii. Apostatis a fide christianam, qui palam habitu vel actu se iudeos, turcas, mahometanos, vel infideles professi sunt, aut habent complices, fautores, seu conscios;

iv. Iis, qui officium sanctae inquisitionis, aut locorum Ordinarios illud exercentes, ac vicarios, seu eorum officiales in concernentibus ipsorum officium, aut executionem, vel testes in huiusmodi causis impediverint, seu respective facto aut verbo offenderint;

v. Principibus et aliis personis iurisdictionem et ius imperii vicario etiam nomine habentibus necnon personis dominorum, seu rerumpublicarum administrationem, gubernium vel regimen habentibus, vel habere solitis, necnon magistratibus, ac etiam episcopis, aliisque praelatis superioribus et inferioribus, ordinariam iurisdictionem habentibus in publicis<sup>1</sup> casibus, etiamsi tunc Sedes Apostolica vacaret, aut Summus Pontifex propter infirmitatem, aliamve causam ita foret impeditus, ut celeriter consuli non posset;

vi. Iis, qui per se, vel per alium, aut alios, de rebus christianae reipublicae et catholicae religionis statum concernentibus in christifidelium aut catholicorum perniciem et damnum mahometanos, tur-

<sup>1</sup> Nescio au legendum praedictis pro publicis (R. T.).

cas vel alios infideles sive hareticos, eorumve principes, duces, vel capitaneos certiores fecerint;

vii. Interficiendis, mutilantibus, vulnerantibus, incarcerantibus, vel hostiliter insequentibus, ac retinentibus invitos, ac aliis offendentibus S. R. E. cardinales patriarchas, archiepiscopos, episcopos et Sedis Apostolicae legatos vel nuncios, aut eosdem reiicientibus a suis dioecesibus, terris, dominiis, aut territoriis, eaque mandantibus seu rata habentibus, vel praestantibus auxilium, consilium et favorem;

viii. Conspirantibus in personam vel Statum Summi Pontificis, seu in sanctam Apostolicam Sedem;

ix. Iis, qui nostrae constitutioni<sup>1</sup> inquirendo de statu reipublicae christianae, vel Sedis Apostolicae, vel de vita aut morte Summi Pontificis, eiusque consanguineorum usque ad tertium gradum inclusive, contravenerint;

x. Cardinalibus, aliisque, qui, Sede Apostolica vacante, in censuras et poenas contentas in constitutionibus felicis recordationis Gregorii XV et nostrae super Romani Pontificis electione emanatis inciderint;

xi. Cardinalibus, aliisque, qui, vivente Romano Pontifice, de quopiam eligendo vel excludendo tractaverint, aut suffragia inierint;

xii. Iis, qui presbyteros publice occiderint;

xiii. Apostatis ab Ordinibus seu religionibus approbatis, quamdiu extra Ordinem permanserint, nisi post reditum ad religionem, vel saltem post reassumptum habitum regularem, cum firmo proposito et brevi termino ad<sup>2</sup> praesentandum intra claustra suis superioribus aut religioni, aut<sup>3</sup> nisi ultramontani sint, vel aliis longe

<sup>1</sup> Videtur deesse *de non* (n. r.).

<sup>2</sup> Videtur deesse *se* (n. r.).

<sup>3</sup> Partic. aut praeter rem esse videtur (n. r.).

distent, et propter inopiam habitum reasumere nequeant, quibus assignari poterit congruum tempus ad id faciendum, quo elapso, sciant, se ratione morae relapsuros in eandem excommunicationis sententiam et censuras, quibus erant antea innodati, de quo etiam poenitentiarum debeant ipsos poenitentes moneere;

xiv. Regularibus intra claustra mulieres introducentibus ad usus inhonestos;

xv. Regularibus vel secularibus, qui munera a regularibus acceperint, ante factam per eos restitutionem, si dicta munera valorem decem scutorum excesserint, exceptis tamen rebus medicinalibus et devotionis, ac aliis, iuxta constitutionem Clementis VIII, sed hoc non nisi facta elemosyna arbitrio confessarii;

xvi. Iis, quorum absolutiones ita immediate reservatae sunt Summo Pontifici, ut nec maior poenitentiarum possit absolvere iuxta tamen tenorem litterarum a nobis expeditarum, etc.;

xvii. Omnibus ab homine nominatim excommunicatis, interdictis vel suspensis, aut pro talibus declaratis sive denunciatis.

§ 5. Similiter possit maior poenitentiarum illis concedere, ut, per se ipsos tantum ut praefertur, omnia vota dispensando, etiam commutare possint in alia pietatis opera; castitatis, religionis, subsidii Terrae Sanctae et S. Iacobi in Compostella dumtaxat exceptis.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras, omniaque in illis contenta, etiam ex eo quod generalis praepositus Societatis Iesu, rector et poenitentiarum praefati, aliique quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, praedictis<sup>1</sup> non consenserint, aut vocati vel auditi non fuerint, aliisque quavis de causa quantumvis legitimam et iuridicam, de subreptionis, vel obreptionis

<sup>1</sup> Male edit. Main. legit *praedicti* (n. r.).

Aliae facultates communicandae.

Clausulae.

seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, notari, impugnari, redargui, retractari, in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed eas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere, et a dicto generali, rectore et poenitentiarum praedictis, aliisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios, etiam causarum palatii apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus cancellariae apostolicae regulis, et, quatenus opus sit, illa de iure quaesito non tollendo, aliisque quibuscumque constitutionibus apostolicis, ac dictae poenitentiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis, indultis et litteris apostolicis, vivaque vocis oraculis dictis generali, religioni, rectori et poenitentiarum praedictis, et quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam cum clausula *quod nunquam sub istis revocatoriis comprehendantur*, et etiam quod addita fuerit clausula *quod dicta privilegia, indulta et alia supradicta semper censeantur concessa sub posteriori data*, et aliis decretis et clausulis, etiam insolitis, etiam speciali mentione dignis, etiam derogatoriis derogatoriis, in genere et in specie, etiam motu pari et consistorialiter, ac aliis in contrarium, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et

singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad effectum praemissum plenissime derogamus.

§ 8. Volumus autem, quod transumptum istarum litterarum manu et sigillo maioris poenitentiarum munitum, et praefato generali Societatis Iesu, rectori et poenitentiarum praedictis nunc existentibus extrajudicialiter etiam intimatum, vim habeat solemnem publicationis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iunii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 20 iunii 1636, pontif. anno XIII.

### DXLIII.

*Extensio constitutionis Gregorii XIII, ne subcollectorum et commissariorum spoliatorum crimina possint cognosci nisi a nunciis et collectoribus apostolicis in regno Neapolitano, ad excessus et crimina patrata in aliis regnis et provinciis, etiam expletis eorum officiiis<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Alias recolendae memoriae Gregorius Papa XIII praedecessor noster indemnitate ministrorum camerae apostolicae, ne ullis molestiis, litibus vel incommodis fatiga-

<sup>1</sup> Gregorius XIII edidit sanctionem solum pro regno Neapolis, quam habes inter ipsius Constit. num. XI., *Cupientes*, tom. VIII, pag. 105.

Transumptis danda fides.

Gregorii XIII refertur Constitutio.

rentur, opportune providere cupiens, quod omnes et singulae causae tunc motae et pro tempore movendae quorumvis praetensorum excessuum, criminum et delictorum, per quoscumque subcollectores et commissarios, tam generales quam particulares, in quibuslibet provinciis, civitatibus et dioecesibus regni Neapolitani, per tunc et pro tempore existentem nuncium apostolicum et collectorem generalem deputatos, commissorum, a tunc et pro tempore existente nuncio apostolico in eodem regno commorante solum, non autem a quibusvis aliis iudicibus, etiam locorum Ordinariis, non modo durante eorum officio, sed etiam post ipsum dimissum, donec viverent, audiri, cognosci et decidi possent et deberent, statuit et ordinavit, praedictisque iudicibus et locorum Ordinariis, ne in illis sese quovis praetextu seu quaesito colore intromittere quoquo modo ullatenus auderent, vel praesumerent, districtius inhibuit, prout in suis litteris in simili forma Brevis, sub datum die IV Ianuarii MDLXV, pontificatus sui anno III expeditis plenius continetur<sup>1</sup>.

§ 1. Cumque<sup>2</sup> postea, ut accepimus, fuerit a nonnullis pluries dubitatum, an praedictae litterae Gregorii praedecessoris praedicti de praetensis excessibus, criminibus et delictis, durante officio dumtaxat, an vero etiam de aliis post finitum eorum officium, ut praemittitur, donec viverent, commissis intelligi deberent, et desuper diversas resolutiones etiam ad invicem contrarias emanasse asseratur:

§ 2. Nos, volentes finem huic dubitationi imponere, et attendentes, quod iidem subcollectores et commissarii in concernentibus servitium Camerae et Sedis Apostolicae timidiore ac negligentiores fierent, si sub praedictorum iudicium et

Ordinariorum iurisdictione post finitum eorum officium se relictum iri timerent, et propterea iusto metu retraherentur a gerendo, ut debent, eorum officio, dubitantes, ne, illo finito, praedicti iudices et locorum Ordinarii in illos, etiam ex causis mendicatis saevirent, quod in non modicum praeiudicium Camerae et Sedis Apostolicae redundaret;

§ 3. Idecirco, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra constitutione perpetuo valitura cognitionem et decisionem causarum praetensorum excessuum, criminum et delictorum per praedictos subcollectores et commissarios a nunciis et collectoribus apostolicis, tam in regno Neapolitano, quam in aliis provinciis, regnis et locis, etiam speciali nota dignis, et ubique terrarum et locorum, per nuncios sive collectores apostolicos<sup>1</sup> hactenus deputatos, et pro tempore deputandos quomodocumque, etiam post finitum officium commissorum, ut praetenditur, et patratorum, spectasse et spectare ad nuncios et collectores apostolicos pro tempore existentes, privative quoad quoscumque alios iudices, etiam locorum Ordinarios praedictos, declaramus, et, quatenus opus foret, decernimus, statuimusque et ordinamus.

§ 4. Ne autem inde maior libertas delinquendi et excessus committendi eisdem subcollectoribus et commissariis nascatur, et ne eorum delicta, si qua<sup>2</sup> patrata essent, vel patrarentur imposterum, impunita remaneant, volumus, quod collectores camerae apostolicae nunc et pro tempore existentes, inter statuta per eorum subcollectores et commissarios observanda, tamquam ab ipsis collectoribus iam edita, etiam impressa, addant comminationem de eisdem subcollectores et commissarios

<sup>1</sup> Verba per nuncios sive collectores apostolicos redundant (R. T.).

<sup>2</sup> Edit. Main. habet quae (R. T.).

Declaratio et extensio de qua in rubrica.

Praeaveatur ne maiora hinc crimina patrentur.

privando huiusmodi privilegio, et illos ordinariae iurisdictioni submittendo, quatenus post dimissum officium ab excessibus et delictis committendis non se abstineant, quodque praedicta statuta in cancellariis episcoporum et aliorum Ordinariorum retineantur et stent affixa.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias iustificatae non fuerint, aut aliam quavis de causa, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, apositionem oris, aut quodcumque aliud, iuris vel facti, gratiae vel iustitiae, remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas et efficaces existere et fore;

Clausula sublata.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostram de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis cancellariae apostolicae regulis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub qui-

busvis etiam derogatarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, ac aliis quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II Iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 2 Iulii 1636, pontif. anno XIII.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVI, die vero XIII mensis septembris, tempore pontificatus Sanctissimi Domini nostri Urbani, divina providentia Papae VIII, anno eius XIII, supradicta Bulla publicata fuit per Urbem in locis solitis et consuetis, per me Silverium Pontiforum Sanctissimi Domini nostri Papae cursor.

IOAN. BAPT. RICCIUS, mag. curs.

DXLIV.

Facultas collectori spoliiorum Portugalliae procedendi ad promulgationem censurarum contra violatores immunitatis ecclesiasticae in regnis Portugalliae et Algarbiorum<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.



Venerabili fratri Alexandro episcopo olim Neocastrensi, iurium et spoliatorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubrica.

§ 1. Licet vigore tuarum facultatum generalium, in quibus tibi tribuuntur illae quae competunt nunciis apostolicis, potueris et possis ad monitionem et declarationem ac promulgationem censurarum, etiam in litteris in die Coenae Domini legi solitis, aliisque constitutionibus et decretis apostolicis, etiam conciliaribus contentarum, procedere, ac quascumque censuras et poenas etiam pecuniarias infligere et promulgare contra quoscumque eiusdem regni Portugalliae habitatores et indigenas, et praesertim contra illos, qui immunitatem ecclesiasticam violantes audent spoliare vel turbare ecclesias et loca pia quaecumque in suis bonis etiam stabilibus et iuribus, etiam in dote, seu augmento, et aliis, per christifideles, etiam onere missarum, anniversariorum, seu aliorum operum piorum, donatis etiam inter-vivos, seu relictis, vel aliis ab ipsis ecclesiis et locis piis hactenus possessis; nihilominus, ad maiorem cautelam, ac iura iuribus, facultatesque facultatibus addendo, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi ad monitionem et declarationem ac promulgationem quaecumque censurarum, etiam in litteris in die Coenae Domini legi solitis, aliisque constitutionibus et decretis apostolicis, etiam conciliaribus contentarum, procedendi, ac quascumque censuras et poenas etiam pecuniarias infligendi et promulgandi contra quoscumque regnorum Por-

tugalliae et Algarbiorum habitatores et indigenas, ac quoscumque quaecumque officia et munia etiam temporalia obtinentes et exercentes, cuiuscumque qualitatis, status, ordinis, conditionis, dignitatis et praeminentiae, etiam speciali expressione et nota dignae, et praesertim contra illos, qui, ut praefertur, immunitatem ecclesiasticam violantes, audent spoliare vel turbare ecclesias et loca pia quaecumque in suis bonis etiam stabilibus et iuribus per ecclesias et loca pia possessis, etiam in dote, seu augmento, et aliis, per christifideles, etiam cum onere missarum, anniversariorum, seu aliorum piorum operum, ut supra donatis vel relictis, necnon quos, quibus, ubi et quando opus fuerit, etiam per edictum publicum, constituto de non tuto accessu, ac sub praefatis et aliis censuris et poenis ecclesiasticis, etiam pecuniariis, arbitrio tuo applicandis, ipsasque censuras et poenas infligendo, declarando, aggravando, reaggravando, et moderando, citandi et prohibendi, omniaque alia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, necnon quaecumque per immunitatis ecclesiasticae violatores huiusmodi in eiusdem immunitatis ecclesiasticae praeiudicium pro tempore quomodolibet attentata et innovata revocandi, cassandi, irritandi et annullandi, nulliusque roboris et momenti fuisse et fore decernendi et declarandi, plenam, liberam, amplam et absolutam facultatem et auctoritatem, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis dictorum regnorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetu-

Contrariorum derogatio.

dinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, alisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 2 iulii 1636, pontif. anno XIII.

#### DXLV.

*Confirmatio decretorum pro reformatione provinciae Turoniae Ordinis sancti Francisci Reformatorem seu Recollectorum in Franciâ.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Cherubinus a Marcigniaco Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia professor, et provinciae sancti Francisci eiusdem Ordinis pater, quod, cum, pro restitutione regularis observantiae et reformatione in provincia Turoniae dicti Ordinis introducenda, nonnulli articuli sive decreta a dilecto filio Ioanne

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Baptista a Campanea dicti Ordinis ministro generali sub die XXIV maii praesentis anni facta fuissent tenoris subsequenter, videlicet:

§ 2. Pro restitutione regularis observantiae et reformatione in provincia Turoniae introducenda efficaciter, necnon secure promovenda, destinetur in primis a reverendissimo patre ministro generali pius, probus et prudens commissarius ex provinciis reformatis, eidem reformationi ex corde addictissimus, qui, plenaria eiusdem reverendissimi patris auctoritate fultus, a Sanctissimo Domino nostro ad certiore intentae reformationis executionem et promotionem confirmandus, singulos dictae provinciae conventus pederet visitet, abusus tollat, depravatos mores evellat, et quaecumque proprietatem aliquam, sive in communi; sive in particulari, seu regulae transgressionem redolere videbuntur, iuxta declarationes DD. Nicolai III et Clementis V procul exterminet, purum seraphici nostri instituti cultum sine ulla dispensatione stabiliat, atque in capitulo proxime celebrando, pro reformatione amplexanda, haec sequentia instituat:

Primo, quod dictus commissarius, tempore suae visitationis, fratres dictae provinciae ad reformationem sectandam moneat, alliciat et exhortetur; eorum vero, qui reformationi sectandae se dederint, nomina diligenter sumat, et (iuxta peculiare statutum, ad postulationem et in favorem novem provinciarum de familia nationis Gallorum in capitulo Romano anno MDCXXV editum, a dicto Domino nostro confirmatum, et rursus in ultimo generali capitulo Toletano renovatum, et ut supra confirmatum anno MDCXXXIII) tres aut quatuor conventus recollectionis deputet, prout dictae recollectioni seu reformationi commodiores et aptiores iudicaverit, ad quos dictos fratres reformationi

Decreta a ministro generali Ordinis pro huiusmodi reformatione edita.

addictos de familiâ transferre, et in iisdem collocare curet;

Ex iisdem fratribus tres, aut quatuor inter ceteros pietate et religione conspicui assumantur et dictorum conventuum reformatorem guardiani instituantur. Nec ullus deinceps in conventibus reformatis superior esse possit, qui in aliquo ex ipsis per biennium saltem communem vitam reformatam non duxerit et ducere possit, praehabito in scriptis patrum guardianorum antecessorum simul et discretorum reformatorum conventuum probato testimonio;

In conventibus autem ad reformationem destinatis, reformati novitios recipiant, et ipsos in eisdem ad strictioris et purioris observantiae nostrae praescriptum sedulo instruant et informant;

Et, ne extra dictos conventus reformationis, studiorum causâ, fratribus reformatis egressus<sup>1</sup>, artium et sacrae theologiae studia in eisdem conventibus designentur;

Quod fratres non reformati ad reformationem transire volentes a patre ministro provinciali licentiam petant, qui nullis potentibus illam deneget, sub poenâ privationis sui officii ipso facto incurrendâ, nisi, qui eam postulaverint, guardiano et discretis conventuum reformatorum inhabiles ad reformationem videantur, aut iudicii vel poenarum sibi iniunctarum subterfugiendarum causâ reformationem praetendant, iuxta decretum Sacrae Congregationis Romae XIV Iunii anni MDCXXVIII.

Quod professi in familiâ ad dictos reformatos transeuntes habeant annum continuum a die sui ingressus in reformationem ad deliberandum, an manere in hac strictiori observantiâ voluerint; post annum autem completum praedicti professi extra reformatos habeantur ut professi in reformatione, nec ipsi, sicut nec

<sup>1</sup> Deesse videtur *patet*, aut simile (R. T.).

professi in reformatione, ab eâdem, reformatorumque ipsorum obedientiâ, quocumque praetextu aut colore quaesito, recedere posse<sup>†</sup>, aut ab ullo superiore dictae provinciae, sub dictâ poenâ privationis suorum officiorum ipso facto pariter incurrendâ, educi et ad conventus de familiâ transferri valeant;

Quod per visitatores aut commissarios dictae provinciae in quolibet capitulo provinciali aut congregatione capitulari, crescente numero reformatorum, statim, ubi duodecim aut sexdecim fratres de novo reformationem amplexati fuerint, unum aut alterum conventum dictae reformationi commodum, praedictis quantum fieri poterit contiguum, iuxta dictorum reformatorum numerum, non plures, assignare et dare teneantur minister et definitores dictae provinciae sub dictis poenis;

Quod insuper, iuxta statuta generalia et decretum dicti DD. N. anni MDCXXV, unus ex definitores dictae provinciae eligatur et assumatur ex reformatis, qui rerum omnium ad dictam reformationem spectantium curam accuratam habeat;

Ac tandem, quod in modo vestiendi, mendicandi, ac vivendi ceteris Galliae recollectis omnino dicti reformati conformes existant; nec ullis dictae provinciae statutis teneantur, nisi in quantum generalibus constitutionibus Ordinis, et maxime pro strictiori observantiâ factis, conformia reperientur.

Datum Florentiae in conventu nostro Omnium Sanctorum die XXIV maii MDCXXXVI.

Fr. Io. BAPTISTA a Campanea,  
minister generalis.

§ 3. Idem Ioannes Baptista minister generalis te dictae provinciae Turoniae commissarium visitatorem constituit et deputavit, cum nonnullis tunc expressis fa-

Frater a Marcignaco deputator visitator provinciae eiusdem.

<sup>†</sup> Legendum foret *possint* (R. T.).

cultatibus, prout plenius continetur in patentibus eius litteris desuper expeditis tenoris pariter subsequentis, videlicet:

Fr. Ioannes Baptista a Campanea, strictioris observantiae, totius Ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, dilecto nobis in Christo patri fratri Cherubino a Marcignaco eiusdem Ordinis et instituti, nostrae vero provinciae sancti Francisci patri, salutem in Domino sempiternam.

Monet nos nostri muneris ratio, ut gravioribus obeundis negotiis eos Ordinis nostri deputemus et destinemus alumnos, quos vitâ commendabiliores, pietati addictiores, et intentae reformationi propensiores esse noverimus. Cum igitur tempus advenerit, quo provinciae nostrae Turoniae capitulum celebrandum occurrat, ne id absque praeviâ visitatione praestetur, iuxta laudabilem et antiquam patrum nostrorum consuetudinem, memoratae provinciae nostrae visitationi ineunda et absolvenda discretum, probum et prudentem deputandum duximus virum. Unde de tuae vitae probitate, morum gravitate, doctrinae idoneitate, prudentiâ, regularis observantiae zelo, rerumque agendarum dexteritate plurimum in Domino confisi, praesentium exemplo atque vigore, te dictae provinciae Turoniae commissarium visitatorem nominamus, institui-

mus et deputamus, plenariam tibi concedentes in hac parte auctoritatem nostram, qua, ad apostolicarum et generalium nostri Ordinis constitutionum necnon privatarum nostrarum instructionum praescriptum, conventus et monasteria, fratres et moniales, tam in capite quam in membris, visitare, processus conficere, carceribus mancipare, sententiare, monere, corrigere, punire, absolvere, depravatos mores evellere, virtutes inducere, et cetera omnia praestare possis et valeas, quae purioris instituti seraphici cultum strictio-

risque observantiae nostrae conservacionem concernunt; ac denique qua possis, praedictâ visitatione absolutâ, et ceteris omnibus, ut moris est, expletis, capitulum celebrare, ministrum provincialem, definitores et guardianos, ceterosque officiales canonicè electos confirmare. Verum, ut facilius, opportunius, exactius et commodius iniunctum tibi munus absolvere quaeas, praecipimus omnibus et singulis eiusdem provinciae fratribus et monialibus, superioribus et subditis, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ privationis propriorum officiorum, necnon excommunicationis latae sententiae, quatenus te velut commissarium nostrum ut supra institutum recipere, recognoscere et revereri velint et debeant, tibi in omnibus, quae nec animae suae, nec regulae nostrae contrariae sint, prompte et hilariter obtemperaturi; monentes te demum et in Domino exhortantes, ut in eiusmodi muneris exequutione nihil aliud penitus, nisi Dei gloriam, veritatem, iustitiam, fratrum nostrorum pacem, nostraeque tandem seraphicae religionis decorem prae oculis habeas. Vale, Deumque pro nobis exora.

Datum Florentiae, in nostro conventu Omnium Sanctorum, VI kalendas iunii anno MDCXXXVI.

Fr. IOANNES BAPTISTA a Campanea, minister generalis:

*Et infra:* De mandato suae reverendissimae paternitatis frater FRANCISCUS GUERRA, secretarius generalis.

Locus † sigilli totius dicti Ordinis.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato sanctae Romanae Ecclesiae vice cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, dictique Ordinis apud

Quae omnia petit confirmari.

nos et Sedem Apostolicam protectori, necessaria visa fuerint, dictusque Cherubinus illa omnia, pro maiori illorum firmitate, apostolicae confirmationis robore communiri plurimum desideret:

Urbanus confirmat.

§ 5. Nos, dictum Cherubinum de religionis zelo, aliisque laudabilibus virtutibus suis apud nos fide dignorum testimonio plurimum commendatum, horum intuitu specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, articulos, sive decreta huiusmodi, necnon constitutionem et deputationem de personam dicti Cherubini in commissarium visitatorem dictae provinciae Turoniae, ut praefertur, facta et factas, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robor adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; necnon articulos et decreta, ac constitutionem et deputationem de personam dicti Cherubini, ut praefertur facta et factas, suum plenarium et integrum sortiri debere effectum, etiamsi capitulum dictae provinciae celebratum fuerit; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Eidemque Cherubino aliaque mandata dat.

§ 6. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae eidem Cherubino, ad praefata ut praefertur destinato, ut convocet patres dictae provinciae Turoniae et definitores, ac per annum, a sua rece-

ptione et admissione in dictam provinciam computandum, maneat visitando conventus eiusdem provinciae, ac cetera omnia, prout in dictis litteris ac articulis seu decretis ordinata continentur, exequendo, ac volentes, ut tam minister quam singuli fratres dictae provinciae subditi in omnibus praefatis eidem Cherubino obediant.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ordinis et provinciae praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliam roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 2 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DXLVI.

*Facultates collegii doctorum civitatis Urbini super cognitione causarum.*

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum (sicut pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Urbinatensis, necnon collegialium collegii doctorum eiusdem civitatis, nobis nuper expositum fuit) collegium praedictum, in quo admittuntur omnes ii, qui, ex patre cive nati, ad doctoratus gradum Urbini promoventur, praetextu litterarum felicitis recordationis Iulii II super erectione dicti collegii, et Pii V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, super confirmatione certae concordiae inter eosdem doctores, et tunc existentem archiepiscopum Urbinatensem super causarum cognitione in prima, secunda et tertia instantiis in primam, secundam et tertiam instantiis emanatarum, facultatem iudicandi in causis appellationum tam in foro seculari quam

Expositio incolarum civitatis Urbinatensis necnon collegii doctorum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ecclesiastico Status ac ducatus Urbini, aliarumque civitatum, terrarum et locorum per obitum quondam Francisci Mariae ultimi ducis Urbini ad Sedem Apostolicam devolutorum, et nostro incorporationis decreto comprehensorum, sibi competere praetendant:

Tredecim eiusdem civitatis doctores, qui causas appellationum cognoscant, eligantur.

§ 2. Nos, eiusdem civitatis communitatem et homines, necnon doctores praedictos, ob praecipuum quo illos amplectimur paterna charitatis affectum, specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne dubitari contingat, an dicta privilegia Iulii II et Pii V adhuc durent vel expiraverint per mortem dicti ultimi ducis, tredecim eiusdem collegii doctoribus, ut infra eligendis et pro tempore existentibus, facultatem de cetero iudicandi in causis appellationum Status praefati, aliarumque civitatum, terrarum et locorum supranarratorum, tam in foro seculari quam ecclesiastico, auctoritate apostolicam, tenore praesentium, concedimus et impertimur; ita tamen, quod ex dicto collegio dicti tredecim volentes, et quatuor vel quinque sopranumerarii si opus fuerit, eligantur; qui eorumdem volantium, si abfuerint vel si suspecti allegati fuerint, vices in iudicando supplere valeant, sed, existente necessario votantium numero ut infra dicitur, a dando vel ferendo voto se abstinere debeant nec iudicare possint.

Horum doctorum nominatio

§ 3. Porro tam vacantium quam summius legatur praetendat (R. T.).

pranumerariorum electio pro prima vice dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, et in Statu ac ducatu Urbini et praefatis aliis terris et locis huiusmodi nostro et Apostolicae Sedis de latere legato, reservata sit et censeatur. De cetero autem, deficiente aliquo ex praedictis, tres a praedicto collegio doctores nominabuntur, quorum unus ab ipso Francisco cardinali moderno seu pro tempore existente legato, vel ab hac Sede eligetur.

pro prima vice Francisco cardinali Barberino conceditur.

Ac deinde a collegio eligendi erunt.

§ 4. Inter hos tredecim doctores votantes, quinque ad minus erunt ecclesiastici non uxorati, sed incedentes in habitu et tonsura clericalibus, ad quos solos dumtaxat causarum ecclesiasticarum cognitio pertinebit, in quibus laici se alias ingerere non valeant nec possint, quam in dando eorum voto consultivo. In causis vero laicalibus ipsi votum dabunt et ferent promiscue cum laicis, et eas prout iuris erit terminabunt, non tamen votis secretis, sicut in praefatis Iulii II praedecessoris nostri litteris concessum fuit, sed votis apertis et in iure fundatis, et sententiae, ad minus in causis ecclesiasticis, a iudice sive ponente subscribentur, non obstante stylo in contrarium faciente.

Ex quibus tredecim votantibus quinque debeant esse ecclesiastici;

Ad quos solos ecclesiasticarum causarum cognitio pertineat.

§ 5. Habebit collegium mediante distinctione praedictam auctoritatem cognoscendi causas appellationum tam ecclesiasticas quam laicales omnium et quorumcumque iudicium legationis supradictae (exceptis tamen beneficialibus, et iis, quae, iuxta dispositionem sacri Concilii Tridentini, vel alias de iure, sunt inappellabiles) in secundis seu tertiis instantiis, et in omnibus illis in quibus dabitur appellatio, postquam iudicatae fuerint a iudicibus ordinariis appellationum, ubi dicti iudices appellationum existunt, quibus nullum censeatur illatum praeiudicium. Verum, in

Pro causarum appellationum cognitione nonnulla statuatur.

causis ecclesiasticis, pro earum definitione, ad minus tres iudices, et in laicis ad minus quinque interveniant; et in illorum defectu, ut praefertur, supplebunt supernumerarii, et etiam in horum defectu poterunt subrogari alii iudices ad electionem, et de consensu partium, dummodo in causis ecclesiasticis pro earum definitione semper sint iudices ecclesiastici. In causis appellationum, spectantibus, ut supradictum est, ad collegium, tam ecclesiasticis quam laicalibus, appellari non possit omisso medio; et, si appellari contigerit, in iis nullus iudex se ingerere debeat, nisi in vim commissionis expressae manu nostrâ signatae; aliâs licitum sit eidem collegio ad ulteriora procedere, non obstante quacumque inhibitione, et absque alicuius poenae incursu, ipsumque collegium reassumere inhiberi et exequi possit, prout iuris erit. Ubi vero collegium iudicaverit in casu, quo dari debeat appellatio, eius cognitio seu commissio ad vicelegatum spectabit.

Facultas collegio sua condendi statuta.

A legato approbata.

Necnon etiam lauream concedendi.

Clausulae.

§ 6. Praeterea eidem collegio statuta super modo cognoscendi causas et pro felici ipsius gubernio necessaria et opportuna condendi, illaque, toties et quoties sibi videbitur et placuerit, alterandi, immutandi et innovandi, salvâ tamen semper approbatione dicti legati sive eius vicelegati, facultatem concedimus et impertimur, necnon doctorandi, et alia privilegia eidem collegio competentia, dummodo sint in usu, nec sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis constitutionibusque apostolicis non adversentur, auctoritate et tenore praedictis approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, Male edit. Main. legit apostolici (R. T.).

suosque plenarios et integros effectus sorti et obtinere, dictoque collegio in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 8 iulii 1636, pontif. anno XIII.

### DXLVII.

*Tubilaicum universale ad divinam open implorandam.*

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus nobis desuper creditum ministerium nos impulit assidue, ut, diremptis inter catholicos principes dissidiis, animos illorum conciliare satagerimus, pro comperto habentes, hinc populorum tranquillitatem oriri, qua magis sarta ac tecta religio catholica conservatur.

§ 1. Nostris igitur hortationibus et monitis per nuncios ordinarios et extraordinarios charissimum in Christo filium no-

Obstantium derogatio.

Prooemium.

Ea refert, quae pro concilianda inter principes pace gesserat.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

strum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum atque utrumque regem ad opportunam aliquam rationem ineundam inducere curavimus, qua pax inter ipsos et publica quies coalesceret, nullum officii genus praetermittentes, omnemque operam et conatum, qui paternae nostrae charitati erga catholicos principes retinendae congruens, et propterea tam proficuo operi facilius perficiendo magis conducere visus sit, indesinenter adhibentes, ut voti compotes efficeremur. Tandem, propitio Dei numine, res eo pervenit, ut dilectum filium nostrum Martium S. Angeli in Foro Piscium diaconum cardinalem Ginettum nuncupatum, nostrum in almâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem, ad praefatos Ferdinandum in imperatorem electum, ac reges et republicas, aliosque principes maioris potentiae, nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum esse mittendum decrevimus, qui ad suum iam munus obeundum, mandatorum nostrorum idoneo commeatu munitus, se commisit itineri.

His publicas preces adiungendas esse putat.

§ 2. Quoniam vero sperare possumus fore ut consilia actionesque humanae quantumvis piae provideque susceptae eum ad quem diriguntur scopum securius attingant, si illas dextera Domini faciens virtutem auxilii sui vi provehat ac tueatur, idcirco, ut immensa Dei omnipotentis bonitas humilitatis nostrae pia studia et vigilias necnon legationem ipsam felici secundet exitu, et quam mundus dare non potest optatam populo suo supplicanti pacem benigne largiatur, ad communes quoque totius populi christiani preces recurrendum censuimus, ut saluberrimis poenitentiae charitatisque operibus orationes sociatae, ad conspectum divinae maiestatis ascendentes, caelestium miserationum et cupitae pacis dona nobis efficaciter impetrent.

1 Male edit. Main. legit providaeque (R. T.).

§ 3. Hoc autem, ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, in praesentibus necessitatibus eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et largissime erogare decrevimus. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam alibi ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus et in Domino hortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere et ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Tubilaicum indicit.

Indulgentiam quae hic praescribuntur peragentibus concedit.

§ 4. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate quam nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemni processioni, quam ab ecclesiâ B. Mariae Angelorum nuncupatâ, Chartusiensis Ordinis, ad basilicam eiusdem B. Mariae Maioris etiam nuncupatam de Urbe feriâ quartâ sequentis hebdomadae, quae erit decimasexta praesentis mensis iulii, unâ cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Apostolicam Sedem oratoribus, omnibusque praelatis et proceribus, ac universo clero et populo agemus, interfuerint, vel qui in eadem, seu immediate sequenti hebdomadâ, basilicam et ecclesias praedictas saltem semel

visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, necnon feriâ quartâ et sextâ ac sabbato eiusdem vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, atque peccata sua confessi sequenti saltem die dominico sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum profit charitas singulis suggesserit fecerint; ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus, in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui inibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomadâ postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenierint indicendae et agendae interfuerint, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius<sup>1</sup> ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ communionem refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

<sup>Impediti quo pacto supplere possint, declarati.</sup>

§ 5. Navigantes vero, aut iter agentes, ut, cum primum ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, et, loco interventus in processione, visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore, aut parochiali loci eiusdem domicilii, eandem indulgentiam consequi possint et valeant, regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis secularibus vel regularibus, etiam in carcere, aut in captivi-

<sup>1</sup> Nempe alterutrus (R. T.).

tate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ieiunium, eleemosynam, ecclesiaeque seu ecclesiarum visitationem, ac interventum in processione et orationem, vel eorum aliqua, praestare nequiverint, ut illa confessarius, quem, ut infra, elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

§ 6. Cupientes autem omnes christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus tam laicis quam ecclesiasticis secularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliis per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, non tamen a crimine haeresis, absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiam salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

<sup>Facultates confessariis elargitur.</sup>

<sup>Iubilaeum ubique locorum indicendum statuit.</sup>

§ 7. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districtae praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialibus, vel iis, deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ac clericis et populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes, ut praefertur, indicant et celebrent, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliis in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

<sup>Contraria tollit.</sup>

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec<sup>1</sup> etiam similes vel dissimiles iubilaei indulgentiarum, et facultatum huiusmodi concessionem, nisi de illis expressa mentio

<sup>1</sup> Perperam ed. Main. nec non legit, pro ut nec (R. T.).

aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliqua aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus, institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubicumque locorum et gentium, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

<sup>Transumptis credi iubet.</sup>

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xi iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 11 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DXLVIII.

Confirmatio decreti Congregationis de Propaganda Fide, quo declaratur collegium Hybernorum Lillae in Belgio

*non esse commune omnibus regni Hyberniae provinciis, sed pro solis duabus provinciis, Lagenia scilicet et media erectum fuisse<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Referit decretum Congregationis de Propaganda Fide.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum collegialium collegii Hybernorum, oppidi Insulensis, Tornacensis dioecesis, nobis expositum fuit, quod a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotio Propagandae Fidei praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis de Propaganda Fide habitae die iv martii MDCXXXVI.

Referente eminentissimo domino cardinale Antonio Barberino instantiam Hybernorum, ut collegium Lillae in Belgio erectum mediante fratre Francisco Cappuccino declararetur esse commune omnibus regni Hyberniae provinciis, sacra Congregatio, visâ visitatione<sup>2</sup> dicti collegii, in qua dicitur collegium praedictum fuisse erectum pro solis duabus provinciis, Lageniâ scilicet et mediâ, instantiam praedictam, utpote contra foundationem, reiecit.

FRANCISCUS INGOLUS, secretarius.

Apostolica petitur confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati collegiales decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et validitate, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent:

Urbanus confirmat.

§ 3. Nos, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis oc-

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Legerem supplicatione pro visitatione (R. T.).

casione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, decretum praeinsertum cum omnibus et singulis in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

§ 4. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die xx iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 20 iulii 1636, pontif. anno XIII.

#### DXLIX.

*Quod officium sanctae Theresiae virginis recitari possit iuxta lectiones a sacrae rituum congregatione approbatas<sup>1</sup>.*

<sup>1</sup> Huius Sanctae canonizationem vide in Constit. LIII (al. 52) Gregorii XV, *Omnipotens sermo*, tom. XII, pag. 673; confirmatio vero praefinitio- nis factae circa habitum inter fratres Discalceatos S. Theresiae et fratres Primi Instituti de Monte Carmelo legitur in Const. DIX huius Pontificis, *Inter ceteras*, ut supra pag. 472.

Clausulas appoint.

Obstantia tollit.

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Pauli V litteras referat.

§ 1. Aliâs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

*Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.*

In supremo apostolatus solio, meritis licet insufficientibus, divinâ dispensatione constituti, ad ea, per quae servorum et ancillarum Christi honos et veneratio in terris promoventur, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, libenter intendimus, et christifidelium praesertim catholicorum regum id exoptantium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Aliâs siquidem nomine dilectorum

Paulus V officium de beata Theresia nonnullis in locis recitari posse concesserat.

filiorum omnium religiosorum totius Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo nobis exposito, quod bonae memoriae Theresia a Iesu, dicti Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum fundatrix, tam multis et eximiis virtutum et gratiarum ac miraculorum donis a Domino illustrata fuerat, ut magna idcirco erga eius nomen et memoriam christifidelium devotio vigeret, et propterea non solum universus Ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac omnium fere Hispaniarum regnorum archiepiscopi, episcopi, principes, necnon communitates, universitates et omnes nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerant, ut, donec canonizationis honor ab Apostolica Sede dictae Theresiae haberetur, sacrosanctum Missae sacrificium et officium ab omnibus et singulis dicti Ordinis utriusque sexus religiosis personis de dictâ Theresia, tamquam de unâ beatâ virgine, agi et recitari respective posset: nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E.

cardinales sacris ritibus praefectos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio huiusmodi supplicationibus inclinati, ut singulis annis in die depositionis dictae beatae Theresiae, videlicet die v mensis octobris, in omnibus monasteriis et ecclesiis dicti Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum ab omnibus eiusdem Ordinis religiosi utriusque sexus officium et missa de beatâ Theresiâ praedictâ tamquam de unâ virgine, necnon in oppido Alvae Salmantinae dioecesis in monasterio et ecclesiâ, in qua corpus dictae beatae Theresiae asservari asseritur, ab omnibus presbyteris tam secularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis in dictâ die v octobris tantum, missa in in honorem eiusdem beatae Theresiae pro eorum devotione iuxta regulas breviarii et missalis romani recitari et celebrari respective posset, concessimus et indul- simus. Et subinde, de simili eorumdem fratrum consilio, ut ex tunc in futurum in omnibus ecclesiis quarumcumque civitatum et dioecesium regni Castellae veteris tantum missa et officium de eadem beatâ Theresia in die eius depositionis praedictâ dumtaxat, iuxta rubricas breviarii romani, a quibuscumque utriusque sexus personis ecclesiasticis, servatâ aliâs in omnibus et per omnia nostrarum superioris gratiae concessionem expeditarum litterarum formâ et tenore, celebrari et recitari respective libere posset et valeret, concessimus et indulgimus, aliâsque, prout in diversis nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur<sup>1</sup>. Cum autem, sicut nomine dictorum religiosorum nobis nuper iterum expositum fuit, tam Philippus rex, quam etiam Ordo praedicti, attentâ universali devotione erga

Quod deinde ad totum regnum Castellae veteris extendit.

Itaque ad omnia regnum Hispaniarum, etc.

<sup>1</sup> Quae in Bullario non sunt (R. T.).

dictam beatam Theresiam omnium populorum non solum regni Castellae veteris, sed etiam omnium aliorum regnorum Hispaniarum, necnon Portugalliae et Algarbiorum, concessionem et indultum praedicta ad universa Hispaniarum necnon Portugalliae et Algarbiorum regna per nos apostolicam auctoritate extendi summopere desiderant: nos, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, de eorumdem fratrum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in omnibus Hispaniarum ac etiam Portugalliae et Algarbiorum regnis dicta die v mensis octobris ab omnibus utriusque sexus personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, officium, et a quibuscumque presbyteris, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis regularibus, etiam missa de eadem beata Theresia, servatis aliis in omnibus et per omnia litterarum praedictarum formam et tenore, celebrari et recitari libere et licite possit et valeat, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis nostris litteris volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu procuratoris generalis dicti Ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Nova petitio Carmelitarum.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte religiosorum dicti Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo nobis nuper expositum fuit, approbatis per venerabiles fratres nostros

sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos tribus lectionibus, duobus hymnis et oratione pro festo sanctae Theresiae praedictae, aliqui ex iis, qui praedictam habent facultatem, dubitaverint, an dictas lectiones, hymnos et orationem recitare possint, et propterea eisdem cardinalibus pro parte dictorum religiosorum supplicato pro habenda desuper opportuna declaratione, iidem cardinales responderint, tuto posse tam a secularibus quam a regularibus qui recitant officium sanctae Theresiae in die eius festo recitari cum lectionibus, hymnis et oratione propriis approbatis ab eisdem cardinalibus pro religione Carmelitarum, prout in decreto desuper sub die XVIII augusti MDCXXIX emanato plenius dicitur contineri: nobis propterea religiosi praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut pro firmiori dicto decreto validitate et subsistentia illud apostolicae confirmationis robore communire de benignitate apostolicam dignaremur.

§ 3. Nos igitur, piis dictae religiosorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 4. Decernentes praesentes litteras va-

Decretum irritans,

Concessio, de qua in rubrica.

lidas, firmas et efficaces existere et fore, dictisque religiosis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu procuratoris generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 23 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DL.

*Cardinali ab Auriâ committitur publicatio Brevis in Sicilia, quo regi conceditur decima ab ecclesiasticis persolvenda*<sup>1</sup>.

Dilecto filio nostro, Ioannettino tituli S. Petri in Monte Aureo presbytero cardinali ab Auriâ nuncupato, ecclesiae Panormitanae ex concessione et dispensatione apostolicam praesuli,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset Bre-

§ 1. Alias a nobis emanarunt litterae te-

<sup>1</sup> Ex regist. in Secret. Brev. — Breve cuius hic fit mentio, vide supra in Const. VIII, p. 468.

noris subsequentis, videlicet: *Urbanus*, ve citatum in rubrica.

§ 2. Quare, cupientes praeinsertas litteras nostras huiusmodi etiam quoad regnum Siciliae ultra pharum executioni demandari, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut, praeinsertas litteras nostras praedictas omniaque et singula in eis contenta, respectu regni Siciliae ultra pharum huiusmodi dumtaxat, publicans, ad omnimodam illarum executionem cum omnibus et singulis facultatibus in eis contentis, et servata in omnibus et per omnia illarum forma, auctoritate nostra devenias.

§ 3. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis quae in praeinsertis litteris huiusmodi volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 28 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DLI.

*Erectio montis communitatum Status Ecclesiastici tertiae erectionis nuncupati.*

Urbanus Papa VIII,  
motu proprio, etc.

Licet alias felicitis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, ut communitates et universitates Status Ecclesiastici ab aere alieno per eas diversimode contracto gravioribus interusuriis sublevaret, montem non vacabilem communi-

<sup>1</sup> Reliquum omittitur quia est in loc. cit. in nota ad rubricam (R. T.).

Cardinali ab Auriâ, ut decretum huiusmodi in Siciliae regno publicari faciat, mandat.

Com facultate ad censuras etiam procedendi.

Derogatio contrariorum.

Recenset similes erectiones a Clemente VIII et Paulo V factas.

tatum Status Ecclesiastici nuncupatum, ad rationem scutorum quinque et iuliorum duorum monetae pro quolibet centenariorum et anno, in quo postea dictae communitates et universitates dicti Status pro censibus extinguendis aliisque earum necessitatibus reparandis admissae fuerunt, erexerit et instituerit; deindeque similis memoriae Paulus V etiam praedecessor noster pro servitio et commodo eadem communitatum alium montem non vacabilem communitatum et universitatum Status Ecclesiastici *secundae erectionis* nuncupatum, ad rationem scutorum quatuor cum dimidio eiusdem monetae pro quolibet centenariorum et anno, erexerit pariter et instituerit, in quo etiam communitates praedictae pro diversis summis pro earum necessitatibus participarunt:

§ 1. Nos nihilominus (quia, sicut accepimus, nonnullae communitates dicti nostri Status adhuc non solum remanent debitrices pro diversis summis in primodicto monte communitatum et aliis montibus cameralibus, verum etiam diversis aliis debitis, pro quibus maiora interusura sustinent, gravatae reperiuntur), eisdem communitatibus et universitatibus, quantum possumus, prodesse cupientes, alium montem non vacabilem communitatum et universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici *tertiaae erectionis* nuncupandum ad eandem rationem scutorum quatuor cum dimidio monetae pro quolibet centenariorum et anno, ex quo omnes communitates dicti nostri Status non solum pro extinctione censuum, sed etiam dictorum locorum montium et debitorum, pro quibus maiora interusura solvunt, pro eorum extinctione et redemptione, ac pro aliis pro tempore occurrentibus necessitatibus, pecunias in promptu habere valeant, erigere et instituire deliberamus.

§ 2. Motu igitur simili, ac ex certa scientia et deliberatione nostris, deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, montem non vacabilem communitatum ac universitatum Status nostri Ecclesiastici *tertiaae erectionis* nuncupandum pretio scutorum centum monetae pro quolibet loco redimibilem, pro beneficio et comodo omnium communitatum et universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici, locorum quatuor millium, et pro ea summa et quantitate locorum, quae pro censibus, locis montium et aere cuiusvis generis alieno, legitime tamen et debitis cautelis et solemnitatibus contracto, pro quibus maius interesse scutorum quatuor cum dimidio pro singulo centenariorum et anno quolibet persolvitur, redimendis et penitus extinguendis sufficiens fuerit, et cuius singulorum locorum pretia scuta centum monetae, fructus autem annui (quos illius creditoribus pro rata pecuniarum in eo expositarum singulis annis de bimestri in bimestre in fine proportionabiliter libere et sine aliquo impedimento hic Romae solvi volumus) annua scuta quatuor cum dimidio pro quolibet loco non excedant, et cum amplissimis privilegiis, facultatibus, libertatibus, indultis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, praerogativis, assignationibus, cautelis, modoque et forma infra latius dicendis et exprimendis, sine tamen omnium et quorumcumque iurium camerae nostrae apostolicae aliquo praedicio, et citra eiusdem camerae suorumque bonorum aliquam obligationem, tenore praesentium creamus, erigimus et instituimus. In quo quidem monte sic a nobis erecto et instituto volumus, et nostram auctoritate decernimus et ordinamus, omnes et singulas communitates et universitates dicti Status nostri Ecclesiastici pro ea rata et summa et quantitate censuum ac locorum montium et quorumcumque debitorum pro quibus dictis scutis quatuor cum di-

tem communitatem.

midio pro quolibet centenariorum et anno maius interesse, ut supra, persolvitur, ad effectum aes alienum praedictum extinguendi, etiamsi super eorumdem censuum, locorum montium et debitorum solutione et extinctione cum mercatoribus aut quibusvis aliis personis aliter pacta fuerint<sup>1</sup> seu quomodolibet contraxerint, et pro aliis eorum occurrentibus indigentibus, de nostra successorumque nostrorum Romanorum Pontificum licentia et mandato, et non aliis, participare et contribuere, fructusque ad rationem praedictam, modo et forma ac in terminis infra dicendis, persolvere omnino posse et debere.

§ 3. Et insuper, ad tollendas difficultates, quae in his possent suboriri, et tam communitatum quam montistarum indebiti ac potiori securitati consulendum, volumus pariter et ordinamus, quod censuum praedictorum creditores, praevia disdicta et intimatione per duos menses antea (iuxta bullam felicis recordationis Pii V praedecessoris nostri super formam creandi census, ac ipsorum censuum instrumentorum formam et dispositionem) faciendam, sortes principales dictorum censuum una cum fructibus ex tunc decursis et non solutis recipere, ac de illis quietantiam facere, et eorum iura et actiones quaecumque translative et non extinctive, ac talia qualia habent contra easdem communitates et universitates et quoscumque alios eis quomodolibet occasione dictorum censuum obligatos, ad favorem dicti montis illiusque emptoris et emptorum et futurorum creditorum ac montistarum, ad maiorem eorum cautelam, cedere teneantur. Alioquin, si statuto termino notificationis et intimationis praedictae, ut praefertur faciendae, pecunias supradictas recipere recusaverint, aut alias quomodolibet distulerint seu neglexerint, tunc pecuniae praedictae a die lapsi ter-

Conditiones nonnullas praescribit.

mini in depositum stare intelligantur, et stent, eorumdem creditorum risico, periculo, fortuna, sumptibus et expensis, fructusque ulterius non currant, et quietantiae et cessiones praedictae habeantur pro factis, dictaque iura et actiones, ut supra, cessa et translata esse censeantur, et nihilominus, quandocumque postea illa receperint, quietantias et cessiones praedictas ad maiorem cautelam, ut supra, facere teneantur; ita tamen, quod iura praedicta pro cedularum bancariorum seu fideiussorum<sup>1</sup> renovatione vel praestatione, ad quam, seu quas, communitates seu universitates praedictae se obligarunt, minusque pro fructibus ultra rationem praedictam pro quolibet centenariorum et anno exigendis ullatenus experiri aut alias exercere non possint. Ceterum, ut etiam mons, sic a nobis, ut praemittitur, erectus et institutus, suas habeat debitas cautelas et assignationes, et illius creditoribus et montistis in fine cuiuslibet bimestris debito tempore hic Romae fructuum solutio fiat, volumus atque statuimus, quod communitates et universitates praedictae ratam partem fructuum unamquamque ipsarum tangentem, pro illis locis et portionibus pro quibus ratione et causa censuum, locorum montium et debitorum praedictorum in eodem monte erunt participes factae, ut supra, contribuant integram, sine ulla diminutione, et ab omnibus et singulis oneribus, impositionibus, contributionibus, collationibus, tributis, subsidiis et collectis, ex quavis causa, etiam urgenti et urgentissima, etiam Sedis et Camerae Apostolicae, aut etiam communitatum et universitatum praedictarum, necessitate etiam publica et pro fide orthodoxa tuenda, et quavis alia quantumvis necessaria, cogitata et incogitata causa hactenus etiam per quosvis praedecessores nostros Romanos Pontifices et nos impositis, et per

<sup>1</sup> Legendum pacti fuerint (R. T.).<sup>1</sup> Forsan legendum fideiussionum (R. T.).

Causasque novi montis erigendi.

Erigit mon-



nos seu successores nostros forsitan imponendis quibuscumque, liberam, immunem et exemptam, unâ cum portu ad hanc almam Urbem, quotannis in perpetuum durante huiusmodi monte, et proportionabiliter pro ratâ, videlicet de quadrimestri in quadrimestre anticipatis solutionibus in manibus seu banco depositarii huius montis vel thesaurarii illius provinciae, cui unaquaeque communitas et universitas subiecta est vel erit. Qui quidem provinciae thesaurarius et thesaurarii, volumus atque decernimus, quod, ad instar onerum cameralium, facultatem habeant exigendi dictos fructus, quodque illos de bimestri in bimestre in fine cuiuslibet bimestris proportionabiliter et pro ratâ libere et integre, sive exegerint sive non, persolvere teneantur depositario huius montis in Urbe ut infra constituendo, modis, formis, obligationibus et cautelis in solutionibus onerum cameralium ipsi camerae faciendis fieri, servari et adhiberi solitis, et ad hoc etiam in formâ camerae nostrae apostolicae sese obligare teneantur. Communitates vero et universitates in manibus praedictorum thesaurariorum seu aliorum exactorum persolvere et exbursare, ac tam pro huiusmodi solutionibus, ut supra, faciendis, quam omni et quacumque evictione et defensione generali et particulari illorum locorum omnium, pro quibus in hoc monte erunt ut supra participes, per suos certos procuratores in publico et generali consilio ad id deputatos et approbatos, promittere, praesentesque nostras litteras ratificare, ac sese et eorum bona, introitus et iura quaecumque, etiam in ampliori eiusdem camerae apostolicae formâ, et sub iuramento, obligare, seu ratificationum, promissionum et obligationum praedictarum huiusmodi publica et authentica instrumenta in eisdem actis exhibere te-

<sup>1</sup> Perperam ut puto ed. Main. legit suo (R. T.).

neantur. Nos enim earum ratificationes et obligationes, et desuper confecta instrumenta huiusmodi, ex nunc, prout ex tunc, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Ac easdem communitates et universitates omnes et singulas supradictas, quae ut supra in hoc monte admissae fuerint, ac ratificabunt et obligabunt earum bona, introitus et iura quaecumque praesentia et futura ubilibet existentia, pro omnibus et singulis praemissis et praemissorum occasione, etiam in formâ camerae nostrae apostolicae ampliori et pleniori generaliterque et specialiter et expresse obligamus et hypothecamus, et obligata et hypothecata esse volumus et declaramus: annuamque summam pro fructibus illorum locorum, pro quibus in dicto monte erunt ut supra participes, modo et formâ ac terminis et locis quibus supra persolvendis necessariam, illam sic ut supra integram, liberamque, immunem et exemptam, ex quibuscumque eorum introitibus, redditibus et proventibus ordinariis et extraordinariis, certis et incertis, dismembrantes et separantes, eidem monti eiusque collegio et futuris creditoribus et montistis praedictis perpetuo assignamus, applicamus et appropriamus, et, quoad illam illiusque liberam perceptionem, exactiorem et consignationem, in omne ius, locum et privilegium earundem communitatum et universitatum ponimus, substituimus et subrogamus. Deficientibus autem communitatibus et universitatibus supradictis in solutionibus de quadrimestri in quadrimestre ut supra faciendis, possint thesaurarii et eorum exactores contra eos<sup>1</sup> procedere cum eisdem privilegiis, facultatibus et praerogativis, quibus in exactiōibus cameralibus fieri et procedi so-

<sup>1</sup> Legendum foret eas (R. T.).

let. Thesaurarii tamen praedicti, cum ad exactiōnem rigorosam procedi contigerit, illam cum exactiōne onerum cameralium sine augmento impensae facere debeant. Communitates et universitates vero praedictae, factâ per eas in manibus thesaurarii, et exactorum ut supra ab eis deputatorum, fructuum solutione, pro fructibus sic ab eis solutis ulterius nec etiam a montistis molestentur, nec molestari possint.

Ac privilegia monti, ac montistis concedit.

§ 4. Et insuper, volentes montem praedictum specialibus privilegiis et gratiis decorare, motu, scientiâ et potestate similibus perpetuo statuimus, decernimus, ordinamus et declaramus, quod huius montis loca ad instar aliorum montium non vacabilia Romanae Curiae resignabilia sint et non vacent. Et quicumque etiam laici utriusque sexus, ac presbyteri et alii clerici, necnon ecclesiarum, aut alii quicumque praelati, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac ceteri cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis, seculares et quorumcumque Ordinum, etiam in communi Mendicantium, ac militiarum vel hospitalium regulares, et aliae quaecumque personae cuiusvis aetatis, etiam minores et pupilli, ac etiam spurii, illegitimi, aut aliâs quomodolibet inhabiles et incapaces, necnon communia, universitates, ecclesiae, capitula, collegia, congregationes, conventus, societates, hospitalia, cappellae et alia quaevis tam profana quam pia et religiosa loca tam intus quam extra ditionem nostram temporalem, et etiam in qualibet mundi parte, nunc et pro tempore existentes (infidelibus tamen semper exceptis), nihilominus in monte huiusmodi communitatum et universitatum, *tertiaie erectionis* nuncupando, quascumque pecuniarum summas et quantitates semel et pluries, ac quoties eis visum fuerit, ponere et erogare, ac pro singulis locis et portionibus praedi-

ctis annua scuta quatuor cum dimidio monetae similis in fine cuiuslibet bimestris pro illorum ratâ sine aliquo conscientiae scrupulo, seu sortis principalis restitutione, aut quovis alio restitutionis onere, ac omni prorsus impedimento cessante, percipere, consequi, et in eorum usum et utilitatem convertere, libere et licite possint. Quin etiam loca praedicta quocumque modo obtinentes, si illa in alios cedere et transferre, ac etiam qui loca huiusmodi aliis acquirere voluerint, tales in huiusmodi cessionibus, translationibus, vel acquisitionibus sibi ipsis vel aliis, etiam quoad vixerint, omnimodam dictorum locorum sic cessorum vel acquiritorum administrationem, eorumque fructuum et emolumentorum perceptionem, necnon plenam, liberam et absolutam potestatem illa quocumque voluerint, nullâ etiam subsistente causâ, ad se recipiendi et revocandi, seu alii vel aliis vendendi, alienandi, donandi, relinquendi, obligandi et pignorandi, super eis paciscendi et contrahendi, et prorsus omnem aliam ipsorum dispositionem, ius et facultatem, nullo obtinentium consensu desuper requisito, aut aliâ solemnitate servatâ, ac etiam cum prohibitione huiusmodi administrationis, fructuum perceptionis, cessionis, venditionis, obligationis, fideiussionis per ipsos obtinentes faciendae, necnon decreto irritante adiecto his quae secus facta fuerint ab eisdem, reservare et obtinere libere et licite valeant; montemque ipsum, illiusque loca et portiones, etiam respectu fructuum et emolumentorum ad rationem praedictam illi assignatorum, nullis omnino reductionibus, diminutionibus, aut mensium, seu mensatarum quarumcumque, retentionibus et quibusvis aliis contrariis dispositionibus, etiam praetextu urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis, tam Sedis et Camerae Apostolicae, quam ipsarum communitatum et uni-

versitatum praedictarum, et pro ecclesiasticae ditionis et catholicae fidei defensione, **vel** ex quavis alia cogitata, vel incogitata causa, etiam necessario exprimenda, subiecta vel quomodolibet obnoxia fore vel esse, sed firma et valida semper persistere, et ab illis fore et esse semper excepta, nec quemcumque ex ipsius montis futuris creditoribus, illorumque haeredes et successores quoscumque, seu causam et ius ab eis quomodolibet habentes et habituros super locis et portionibus ac illorum integris fructibus et emolumentis praedictis, quoquo modo contra praesentium formam turbari vel impediri nec eos ad pecunias in ipso monte positas et erogatas, aut illorum partem aliquam, in solutionem et extinctionem censuum et debitorum praedictorum aut aliam quamvis earundem communitatum et universitatum necessitatem, causam vel utilitatem conversas fuisse et esse, aut aliqua alia etiam necessaria et requisita in iudicio vel extra probanda, deducenda, seu quomodolibet verificanda ullo umquam tempore teneri, nec probationem contrariam in his obesse, ac, pro praemissis, omnibus et singulis, ac quacumque evictione et defensione generali et particulari dicti montis et illius locorum et portionum quorumcumque, communitates et universitates praedictas, et earum et cuiusque ipsarum bona mobilia, stabilia et se moventia, introitus, effectus et proventus, ac res, actiones et iura quaecumque, praesentia et futura, ubique locorum existentia, generaliter, specialiter et expresse, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, in ampliori eiusdem camerae apostolicae forma teneri et obligata et hypotecata fore et esse, prout obligamus et hypotecamus: praesentesque vim validi ac solemniter et legitime initi et stipulati contractus, et utrinque iurati, inter dictas communitates et universitates ex

unâ et eiusdem montis emplores et futuros creditores, illorumque haeredes et successores quoscumque<sup>1</sup>, habere et obtinere pariter statuimus, decernimus et ordinamus. Volumus etiam, quod dictus mons, ut supra a nobis erectus et institutus, extingui non possit, nisi ceteris aliis earundem communitatum debitis extinguibilibus, tam hucusque contractis, quam contrahendis in futurum quibuscumque, pro quibus maius vel aequale interesse dictorum scutorum quatuor cum dimidio pro quolibet centenario et anno persolvunt, ac etiam dicto monte communitatum *secundae erectionis* per felicis recordationis Paulum V, ut praemittitur, erecto, penitus extinctis, ita ut mons hic *tertiaae erectionis* post cetera debita hucusque contracta extingui possit, et non antea. In casu vero extinctionis montis praedicti, communitates et universitates praedictae non ultra scuta centum monetae pro quolibet loco restituere, creditores vero et montistae ita recipere teneantur. Extinctio autem montis et locorum illius quando fieri contigerit, tunc pretium seu pecuniae ad hunc effectum destinatae in banco depositarii generalis communitatum Status nostri Ecclesiastici deponantur, prout hactenus fieri consuevit.

§ 5. Et, ut praemissa omnia et singula <sup>Thesaurarium generale camerae apostolicae huius montis protectorem deputat.</sup> facilius et rectius gerantur et exequantur, dilectum filium magistrum Petrum Donatum Caesium, thesaurarium nostrum generalem aliosque pro tempore existentes thesaurarios generales dicti montis protectores eligimus et deputamus, cum potestate litteras patentes sub eorum nominibus et sigillis expediendi et concedendi, necnon omnes et quascumque causas super dicto monte, illiusque causâ et occasione, et ab eo quomodolibet dependendas et movendas, privative quoad omnes alios iudices cognoscendi et terminandi,

<sup>1</sup> Desunt verba *ex alterâ partibus* (R. T.).

ac omnia alia, quae ad eiusdem montis utilitatem providamque directionem pertinere cognoverint, peragendi, cum facultate etiam secretarium et ratiocinatorem seu computistam dicti montis, cum emolumentis per secretarium et computistam montis communitatum *secundae erectionis* exigi solitis, ad eorum vitam, et donec vixerint, et prout ipsis melius placuerit et videbitur, eligendi et deputandi: depositarium vero dicti montis dilectum filium Ioannem Franciscum Sacchettum; donec vixerit, eius vitâ durante, qui tamen de solvendo montistis dicti montis debitis terminis et temporibus fructus locorum quae obtinebit, exactis vel non exactis assignationibus, et quocumque impedimento cessante et non obstante, se obligare teneatur et debeat, eligimus et deputamus.

Clausulas praeservativas superaddidit.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras ad omnia et singula necessaria et requisita legitime sufficientes esse tam in iudicio quam extra plene et probandum et verificandum, nec alterius probationis administriculum requiri, eisdemque praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu (etiam ex eo quod communitates et universitates praedictae, aut alii quicumque in praemissis ius et interesse forsitan habentes, seu habere praetendentes, vocati seu audit, aut quod ipsae litterae in eadem camera apostolicae admissae, et in eius libris registratae minime fuerint, vel ex aliâ quavis causâ quantumvis legitimâ, urgenti et iuridicâ, etiam necessario exprimendâ), notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam intentari posse, vel debere, minusque sub similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus,

suspensionibus, limitationibus, reductionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illa emanabunt, toties in pristinum et eum in quo erant statum restitutas, repositas et plenarie, etiam sub quacumque posteriori datâ, reintegratas, ac de novo concessas, ac semper maiorem vim, robur et efficaciam habere et obtinere, ac si de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, et in nostro consistorio secreto editae, factae et emanatae fuissent;

§ 7. Sicque et non aliter per camerarium, necnon vice camerarium, ac eiusdem camerae thesaurarium et clericos praesidentes, et quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ regulâ de non tollendo iure quaesito, necnon etiam super bono regimine reddituum communitatum et universitatum praedictarum, ac Pii IV nostri praedecessoris de registrandis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam de bonis earundem communitatum et universitatum non alienandis nec obligandis, aut quod in illorum alienationibus et obligationibus certae solemnitates servandae sint, necnon earundem communitatum et universitatum statutis, ordinationibus, reformationibus, necnon instrumentis, seu scripturis quibuscumque, inter praedictas communitates et universitates ex unâ et quovis mercatores seu alias personas quascumque parte ex alterâ, super extin-

Sic iudicari vult.

Contrariis derogat.

## DLII.

*Committitur auditori camerae, ut, ad instantiam commissarii camerae apostolicae, contra Ioannem Andream ab Auria et alios invasores et occupatores Burgi Vallis Tari, ad sanctam Romanam Ecclesiam pertinentis, procedat<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut accepimus, princeps Ioannes Andreas ab Auria, nescitur quo spiritu ductus, terram, seu oppidum Burgi Vallis Tari Placentini districtus ad S. R. E. ratione directi domini spectans, illiusque territorium et membra, annexaque et connexa ac dependentia occupare ausus fuerit, sive occupata detinuerit vel detineat:

§ 2. Propterea nos, volentes, ut contra praedictum Ioannem Andream ab Auria, omnesque alios invasores, occupatores et detentores, iuris remediis opportunis, et praesertim declarationis incursus excommunicationis maioris, aliarumque censurarum et poenarum a sacris canonibus et conciliis universalibus, constitutionibusque apostolicis, etiam in Bulla Coenae Domini, adversus talia perpetrantes inflictarum et promulgatarum, per auditorem camerae, qui quarumcumque litterarum apostolicarum est generalis exequutor, procedatur; ne umquam de eius iurisdictione et facultate in praemissis quomodolibet necessariâ et opportunâ dubitari contingat, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, salvo tamen et reservato nobis et Sedi Apostolicae iure agendi ad quaecumque alia nunc et imposterum quomodolibet et quandocumque competentia et competitora, ac praeviâ, quatenus sit opus, avo-

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brevium.

etione debitorum dictarum communitatum seu universitatum quomodolibet factis, iniuris, executioni demandari coeptis, etiam obligatione camerale seu guarantiâ aut aliâ etiam strictiori formâ vallatis, necnon iuramento, et quavis aliâ cautelâ roboratis atque firmatis, privilegiis quoque, indultis, concessionibus et facultatibus, etiam pluries aut etiam auctoritate apostolicâ concessis, factis, innovatis, confirmatis et approbatis, necnon stylis, usibus, regulis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Quae omnia et singula, etiamsi de illis specialis, expressa et individua mentio habenda esset, illorum tenores hic pro expressis et sufficienter ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliâ in suo robore permansuris, si obstant, tollimus et abrogamus.

§ 9. Volumus autem, et nostrâ auctoritate decernimus et declaramus, quod praemissa omnia et singula intelligantur et sint facta et concessa sine omnium et quorumcumque iurium camerae nostrae apostolicae aliquo praeiudicio, et citra aliquam eiusdem camerae, honorumque suorum obligationem, ita ut iuribus camerae nequaquam praeiudicetur, neque de suo in aliquo proprio ipsa camera teneatur vel obligetur;

§ 10. Quodque praesentis nostri motus proprii cedulae sola signatura sufficiat, absque eo quod declaretur vel registretur, regulâ quacumque, et aliis contrariis non obstantibus;

§ 11. Quodque eiusdem cedulae transumptis, etiam impressis, et per unum ex dictae camerae notariis subscriptis, et eiusdem thesaurarii sigillo signatis, stetur et credatur, illaque plenam fidem faciant, tam in iudicio quam extra, ac si ipsa cedula foret exhibita vel ostensa.

Placet motu proprio M.

Camerae apostolicae iura ab obligatione reservat.

Signatura sufficit.

Exemplis stari iubet.

Ioannes Andream ab Auria oppidum Tari occupat.

Urbanus auditori camerae committit, ut contra illum procedat.

catione a quibuscumque iudicibus, etiam per Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet datis, tenore praesentium eidem auditori camerae nunc et pro tempore existenti committimus et mandamus, ut, nedum vigore suarum generalium facultatum, sed etiam vigore praesentium, ad instantiam commissarii generalis camerae apostolicae pro tempore existentis, ad praedictam declarationem incursus excommunicationis, aliarumque censurarum et poenarum quarumcumque, etiam caducitatis et devolutionis feudorum et honorum emphyteuticorum, si qua<sup>1</sup> praedictus Ioannes Andreas ab Auria, omnesque alii, tam proprio quam cuiuscumque alterius nomine, invadentes et occupantes, sibi assistentes, auxiliumque et favorem praestantes, et qui praestiterunt ad invadendam seu occupandam vel detinendam praedictam terram, eiusque arcem et territorium, aliaque bona, iura, membra, annexa et dependentia quaecumque ad praedictam Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam, et respective quamlibet aliam inferiorem ecclesiam, ratione directi domini et aliâ quomodolibet spectantia, obtinent, necnon amissionis et privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum et indultorum, si qua<sup>2</sup> ab ipsâ Ecclesiâ Romanâ, aliâque ecclesiâ inferiori quomodolibet habent, procedat, omniaque alia et singula in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna gerat, faciat et exequatur, etiam omni et quacumque appellatione, reclamazione, recursu, nullitate, etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis penitus et omnino remotis, cum facultate praedictum Ioannem Andream ab Auria, omnesque alios in executione praesentium nominandos et cognominandos, cuiuscumque qualitatis,

<sup>1</sup> Edit. Main. legit quae (n. r.).

<sup>2</sup> Edit. Main. legit quae (n. r.).

status, gradus, conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali notâ et expressione dignos, quicumque et quotcumque sint et fuerint, citandi etiam per edictum publicum, constituto etiam summarie et extrajudicialiter et quantum sibi sufficere videbitur de non tuto accessu

§ 3. (Volumus autem, ut, factâ per affixionem saltem semel intimatione monitorii desuper expediendi in valvis ecclesiarum Bononiensis et Ferrariensis, ac in valvis basilicae Principis Apostolorum, et in acie Campi Florae de Urbe, omnia acta deinde contra praedictum Ioannem Andream ab Auria, omnesque alios ut praefertur nominandos, facienda valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, prout ex nunc valida decernimus et declaramus, perinde ac si ipsi et quilibet illorum in quolibet actu personaliter citati, moniti et intimati fuissent), illisque, quoties et quando opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis sibi benevisis, inhibendi et praecipendi, aliisque facultatibus necessariis et opportunis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, et praesertim Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ac quacumque commissione aliis iudicibus seu tribunalibus Urbis, etiam per Breve apostolicum, vel per supplicationem, sive decretum, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestate similibus, ac aliâ quomodolibet etiam consistorialiter expeditum, factâ, partibusque intimatâ, ceterisque contrariis quibuscumque, statum litis et litium quarumcumque, ac nomina et cognomina iudicum et litigantium, aliorumque contrariorum, et hic etiam de necessitate exprimendorum et inserendorum, tenores et compendia pro plene expressis et insertis habentes. Quibus omnibus et singulis plenissime derogamus.

Intimationi Romae factae citationis vim addit.

Obstantibus derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 11 augusti 1636, pontif. anno XIV.

## DLIII.

*Litterae ad S. R. I. electores de necessitate ac formâ eligendi regem Romanorum<sup>1</sup>.*

Venerabili fratri archiepiscopo Moguntino, sacri Romani imperii principi electori,  
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,  
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum ob praesentium temporum qualitatem in clyta Germaniae provincia in tantis tum haereticorum tum etiam infidelium periculis versetur, operae pretium esse censuimus, ut modo ad electionem regis Romanorum deveniatur. Speramus etenim, ob bonitatem praecipue virtutemque vestram, quod optatur, eâ qua potissimum convenit ratione, divinâ praecipue favente clementiâ, feliciter successurum.

§ 2. Quamobrem, cum aperte videamus, in huiusmodi electione complures defectus necessario intercessuros, praesertim quia duo electores haeretici ei intervenire debent, quodque ad electionem novi regis Romanorum procedetur, imperatore ipso adhuc non coronato, quod quidem expresse contra veteres leges est et consuetudines antiquas, decrevimus, ut electio ipsa valida sit atque firma, nec ei quicquam obiici, opponere possit, his nostris litteris, ac de nobis attributae potestatis plenitudine, super ea a nobis dictos defectus omnifariam supplere. Declarantes electionem huiusmodi, quae rite a te et aliis facta fuerit, eandem vim, eundem-

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

que vigorem habere, perinde ac si ab omnibus sex electoribus unâ cum rege Bohemiae, et ipsis omnibus catholicis, et in huius sanctae Sedis unione existentibus, facta celebrataque fuisset: pariterque huic novi Romanorum regis creationi minime obstare volumus, quod charissimus in Christo filius noster Ferdinandus, alter rex Romanorum in imperatorem electus, nondum fuerit coronatus; nam, attentâ temporum necessitate, hac tantum vice, id fieri posse permittimus. Cetera vero nuncius iste noster vobis diffusius explicabit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV<sup>1</sup>.

Dat. die 21 augusti 1636, pontif. anno XIV.

## DLIV.

*Committitur congregationi confinium, ut contra Marianum Alidosium, qui absque Sedis Apostolicae licentiâ vendidit, et Iacobum ducem Salviatum, qui emit castrum del Rio in provinciâ Romandiolaë, procedat<sup>2</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Quamvis, tam de iure, quam ex constitutionibus apostolicis, praesertim felicis recordationis Sixti V, Clementis VIII et Pauli V praedecessorum nostrorum, ac nostris, feudatarii, vassalli seu subditi, qui possident iurisdictiones et castra, praesertim fortalitiâ, in Statu temporali S. R. E. consistentia, non possint illa alienare in quamcumque personam, nisi prius licentiâ etiam in scriptis obtentâ a Romano Pontifice pro tempore existente, et illâ in actu contractus exhibitâ, aliâs in eventum

<sup>1</sup> Eiusdem exempli litterae datae sunt ad archiepiscopos Colonienses et Treverenses et ad Maximilianum Bavariae ducem S. R. I. electores.

<sup>2</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

Paulus Alidosius contra constitutionem apostolicam Castrum del Rio Iacobo Salviato vendit, non obtenta a Sancta Sede Apostolica licentiâ.

contraventionis incidant in diversas poenas in eis impositas; tamen, ut accepimus, Marianus Alidosius Imolensis, temerario spiritu ductus, cum possideret oppidum seu castrum del Rio nuncupatum, intra fines ditionis temporalis S. R. E. in provinciâ Romandiolaë situm, ausus fuit, nullâ a nobis obtentâ licentiâ, alienare et vendere praefatum castrum Iacobo duci Salviato; qui etiam, non attentis praefatis prohibitionibus, temere illud emit, etiam simulato praetextu, quod castrum huiusmodi non esset de directo et supremo dominio sanctae Sedis Apostolicae, ita ut multo magis, tam ex praemissis, quam ex aliis per commissarium camerae apostolicae generalem nunc et pro tempore existentem deducendis, nedum praedictum castrum in eo ipso devolutum ad Sedem Apostolicam, sed etiam ipsi contrahentes in poenas a iure et a praefatis constitutionibus, et aliâs quomodolibet contra non observantes praemissas, ac dominium directum et supremum Sedis Apostolicae negantes, et illud ac possessionem eiusdem Sanctae Sedis intervertere nitentes, impositas inciderunt.

Pontifex Congregationem confinium committit, ut contra illos procedat.

§ 2. Idcirco, ne, tam praefati excessus et transgressiones, quam praedicta crimina aliâque delicta, super praemissis et illorum occasione ab eis et quibuscumque aliis cuiuscumque status, gradus, conditionis et dignitatis etiam ecclesiasticae existentibus, etiam speciali expressione dignis, etiam auxilium, consilium, vel favorem eis quomodolibet praestantibus, in praerudicium Sedis Apostolicae quomodolibet commissa et patrata, impunita remaneant, illorum cognitionem, declarationem et punitionem dilectis filiis nostro Bernardino tituli S. Stephani in Coelio monte presbytero cardinali Spadae nuncupato, ac praelatis nunc et pro tempore existentibus congregationis confinium aliâs per nos erectae committenda duximus.

§ 3. Quapropter nos, praefatorum tractatum, conventionum, contractus et aliorum ab ipsis contrahentibus, et aliis desuper quomodolibet gestorum, et inde sequutorum, si qua<sup>1</sup> sint, ac aliorum forsitan hic exprimendorum et inserendorum tenores pro plene insertis et expressis habentes, motu proprio, certaue scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, causam et causas declarationis incursus praefatarum et quarumcumque aliarum poenarum, etiam excommunicationis maioris, aliarumque censurarum, necnon rebellionis ac criminis laesae maiestatis, confiscationisque bonorum, ac etiam devolutionis et caducitatis praefati castri, aliorumque castrorum et bonorum feudaliu, seu emphyteuticorum ecclesiasticorum, si qua<sup>2</sup> praefatus Marianus, ac Iacobus, aliique praefati, et eorum quilibet, habet et obtinet a Sede Apostolicâ, vel ab aliâ ecclesiâ inferiori, ac amissionis et privationis illorum, ac quarumcumque dignitatum, titulorum, honorum, indulgentiarum et privilegiorum quorumcumque per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam per nos, et a quacumque ecclesiâ inferiori eidem Mariano et Iacobo, aliisque praefatis, sive eorum antecessoribus, vel auctoribus, concessorum, necnon impositionis et inflictionis praedictarum, et aliarum quarumcumque poenarum in declarationibus per Romanos Pontifices praedecessores nostros quoscumque ac etiam per nos quomodolibet desuper factis contentarum, necnon causam et causas, quam et quas idem camerae commissarius habet et movet, habereque et movere vult et intendit contra praedictos Marianum et Iacobum, omnesque alios quocumque et quoscumque, ac cuiuscumque qualitatis, conditionis, gradus, status et dignitatis,

<sup>1</sup> Edit. Main. habet *si quae* (R. T.).

<sup>2</sup> Edit. Main. habet *si quae* (R. T.).

Ad quem effectum peculiares quoque addit facultates.

ut praefertur, sint vel fuerint, super praemissis, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis et deducendis, cum suis et illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexisque et connexis, totoque negotio principali, eidem congregationi confinium nunc et pro tempore existenti committimus et mandamus, ut, tam suarum facultatum generalium, quam praesentium vigore, illam et illas cognoscat, termine, et prout iuris fuerit deciderit, omni et quacumque appellatione, reclamazione, recursu, nullitate, etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis, cum facultate praefatos Marianum et Iacobum, omnesque alios in executione praesentium nominandos et cognominandos, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali nota et expressione dignos, ut praefertur, quicumque et quotcumque sint et fuerint, citandi, etiam per edictum publicum, constituto etiam summarie et extraiudicialiter, et quantum sibi sufficere videbitur, de non tuto accessu

Intimationem per publicationem monitorii faciendae citationis personalis vim addit.

§ 4. (Volumus autem, ut, facta per affixionem saltem intimatione monitorii desuper expediendi in valvis ecclesiarum cathedralium Imolensis et Faventinensis, ac in valvis basilicae Principis Apostolorum, et in acie Campi Florae de Urbe, omnia acta deinde contra praefatos Marianum et Iacobum, omnesque alios ut praefertur nominandos, facienda, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, prout ex nunc valida decernimus et declaramus, perinde ac si ipsi et quilibet illorum in quolibet actu personaliter citati, moniti et intimati fuissent), illisque quoties et quando opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis sibi benevisis, inhibendi et praecipendi, aliisque facultatibus necessariis et opportunis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam in conciliis generalibus editis, et praesertim Bonifacii Papae VIII de una, et concilii generalis de duabus dietis, ceterisque contrariis quibuscumque, statutum litis et litium quarumcumque, ac nomina et cognomina iudicum, litigantium, aliorumque contrariorum et hic etiam de necessitate exprimentorum et inserendorum tenores et compendia pro plene expressis et insertis habentes, quibus omnibus et singulis plenissime derogamus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 10 septembris 1636, pontif. anno XIV.

## DLV.

*Committitur rotae decano absolutio quatuor portionariorum et duorum beneficiariorum ecclesiae Caesaraugustanae a censuris et poenis incursis, eo quod recurrerint ad iudices laicos pro executione mandati rotalis.*

Dilecto filio Ioanni Baptistae Coccino, causarum sacri palatii auditori decano, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Ludovicus Pueio, Hieronymus de Funes, Thomas de Zaumada et Ioannes Michaël Crosco, portionarii, ac Hiacynthus Perez et Ioannes Mercado, beneficiati integrae distributionis ecclesiae Caesaraugustanae, quod in Bulla felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, qua dicta ecclesia Caesaraugustana e statu regulari redacta est ad secularem, fuerant praeservatae cuilibet portionario et beneficio huiusmodi quo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tidianae distributiones solvendae pro rata eorum servitii, quas deinde particulari statuto eiusdem ecclesiae, apostolicam auctoritate confirmato et ab illius capitulo et canonicis acceptato, declaratum fuit debere ascendere ad tria regalia monetae illarum partium qualibet die pro horis canonicis diurnis, atque iisdem portionariis tamquam existentibus in possessione percipiendi huiusmodi summam fuit alias resolutum in sacro istius rotae Romanae auditorio dandam esse manutentionem. Cum autem postea in expeditione mandati de manutenendo fuissent omissi praedicti exponentes, eo quia tunc deerat in Romanam Curiam eorum legitimus procurator; propterea ipsi, considerantes praedictam quantitatem aequae sibi ac ceteris deberi, illamque a praedictis capitulo et canonicis in sui detrimentum retineri contra formam dictae Bullae et statuti ac resolutionis rotalis, diversos actus fecisse dicuntur pro consequutione dictarum distributionum, et plenariam dictorum Bullae, statuti et resolutionis rotalis huiusmodi executionem; propter quos, dum et ipsi nuper misso ad almam Urbem nostram eorum legitimo procuratore peterent in eadem rota manutentionem, fuit ipsis ex parte dictorum capituli et canonicorum oppositum, eos incidisse in poenas et censuras ecclesiasticas, eo quia aliquos ex dictis actibus fecerint coram iudicibus laicis, ad quos asseruntur habuisse recursus.

Petitione Papae facta.

§ 2. Quamvis autem huiusmodi asserti recursus tendant non ad impediendam, sed ad obtinendam et coadiuvandam executionem litterarum apostolicarum et iurisdictionis ecclesiasticae, nihilominus ad tollendam omnem dubitandi materiam praedicti exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis de absolutioe beneficio, et alias, ut infra,

1 Forsan legendum propter quod (R. T.).

providere de benignitate apostolica digna remur.

§ 3. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, coram quo lis inter ipsos exponentes, ut asserunt, et praedictos capitulum et canonicos super praemissis adhuc indecisa pendet, per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constituto tibi legitime de praemissis, praedictos exponentes et eorum quemlibet, si hoc a te humiliter petierint, et parito prius per eos, si quod sit, iudicato, nec non renunciato attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis factis, ac imposita dictis exponentibus et eorum cuilibet arbitrio tuo poenitentiam salutari, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, per eos praemissorum occasione quomodolibet incursis, auctoritate nostra absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis gratiose remittas et condones, eisdemque in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restituas, reponas et reintegres.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv septembris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 15 septembris 1636, pontif. anno XIV.

Commissio, de qua in rubrica.

Derogatio contrariorum.

## DLVI.

*Fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum possunt erigere crucem in publicis processionibus.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Causae huius  
Constitutionis.

Cum, sicut dilectus filius modernus vicarius generalis fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum congregationis Italiae nobis nuper exponi fecit, alias, postquam ipse venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praepositis exposuisset praedictos fratres Discalceatos incedere in processionibus publicis sub cruce fratrum Eremitarum eiusdem sancti Augustini, petiissetque fratribus Discalceatis huiusmodi concedi licentiam erigendi propriam crucem et sub ea in processionibus incedendi, iidem venerabiles fratres licentiam praedictam fratribus Discalceatis huiusmodi sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito concesserint, dummodo digniorem locum omnibus aliis regularibus, qui hactenus crucem erexerunt, concederent, prout in decreto desuper emanato plenius dicitur contineri; cupiatque propterea dictus vicarius generalis praemissa omnia pro illorum validitate et subsistentia firmioribus apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri:

Confirmatur,  
prout in  
rubrica.

§ 1. Nos, dictum vicarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decre-

tum praedictum, ac omnia et singula in eo contenta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robor adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 2. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque fratribus Discalceatis huiusmodi in omnibus et per omnia suffragari debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 octobris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 1 octobris 1636, pontif. anno XIV.

## DLVII.

*Regis catholici zelus excitatur, ne permittat a suis ministris nonnulla ecclesiarum bona in Portugalliae regno occupari.*

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Portugalliae et Algarbiorum regi catholico,

Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem

Pastoralis officii nostri debitum et honoris domus Dei zelus, quo in tuendis ac saretis tectisque conservandis ecclesiarum iuribus assidue solliciti sumus, non patitur, ut ea conniventibus oculis praeterea-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

Exortium.

mus, quae in ecclesiarum ipsarum damnum praeiudiciumque temerariis ausibus committuntur.

Ministri regis bonis nonnullis ecclesias privare tentant.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, nonnulli maiestatis tuae in Portugalliae regno ministri, indebito legis laicalis (alias per felicis recordationis Gregorium Papam IX praedecessorem nostrum abrogatae) praetextu, conati sint et conentur ecclesias seu cappellas ac perpetua beneficia ecclesiastica et alia loca pia suis bonis, etiam ab antiquissimo tempore possessis et acquisitis etiam ex legatis seu dispositionibus piorum christifidelium pro suarum animarum refrigerio factis et relictis, privare et spoliare, indeque oriri possit nedum iniusta privatio et spoliatio in earumdem ecclesiarum et beneficiorum detrimentum, ac revocatio legatorum, foundationumque piarum, et subtractio suffragiorum animabus fundatorum perpetuo assignatorum, sed etiam extinctio titularum ecclesiarum et beneficiorum huiusmodi, etiam contra modernam et antiquam regni Portugalliae observantiam; et, licet annis praeteritis eadem praetensio fuerit suscitata, tua tamen ac regum Portugalliae maiorum tuorum pietate hactenus semper sopita fuerit in favorem ecclesiarum, beneficiorum et locorum piorum huiusmodi:

Pontifex regem hortatur, ne huiusmodi attentata permittat.

§ 2. Nos certe, quamquam egregius et a maioribus tuis acceptus maiestatis tuae religionis zelus nobis abunde polliceatur<sup>1</sup>, se<sup>2</sup> circa praemissa eas rationes initurum, quibus ecclesiarum, beneficiorum ecclesiasticorum, locorumque piorum indemnitati et animarum christifidelium refrigerio opportunis rationibus consulatur; ob curam tamen universalis Ecclesiae humilitati nostrae divinitus commissam Pontificiaeque nostrae in maiestatem tuam charitatis viscera facere non possumus,

1 Male edit. Main. legit polliceantur (R. T.).

2 Aptius videretur legendum te (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XIV.

71

quin eam paterne in Domino hortemur, ut, avitae virtutis emulator, ecclesias, beneficia et loca pia huiusmodi suis immunitatibus, bonisque ac iuribus pacifice frui et gaudere faciat, nec illa per ministros praedictos desuper molestari seu ullo modo inquietari permittat, nobis ipsi persuadentes eandem illam gloriam, quae pietatis in Deum et propensae in res sacras voluntatis aliisque laudabilibus meritis maiestas tua hucusque adepta est, ad ampliorem parandam tibi stimulos addituram; alia enim adiicere consuevit Dominus regnum suum primo quaerentibus. Nobis profecto, quidquid ad ecclesiarum, beneficiorum ac piorum locorum favorem in praemissis gesseris et iusseris, tam gratum erit, quam quae gratissima accidere possunt, et hac super re cum maiestate tua fusius disseret nuncius noster episcopus Senogalliensis. Dum vero apostolicam benedictionem tibi iterum impertimur, fuis ad Deum precibus enixe postulamus, ut caelestium gratiarum dona tibi iugiter impertiatur.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 18 octobris 1636, pontif. anno XIV.

## DLVIII.

*Oppidum Mercatelli Urbanae episcopatus, Lamolae autem oppidum ecclesiae S. Angeli quoad iurisdictionem ecclesiasticam addicuntur.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum nuper nos ad omnipotentis Dei laudem et cultus divini augmentum

Erectos a se nuper Urbanae et S. Angeli episcopatus referit.

1 Legendum quam (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev. — Erectum ab ipso hoc Pontifice Urbanae episcopatum vide in praecedenti anno, num. DXXXV, supra pag. 513.

ecclesiam cathedralem Urbaniam nuncupatam ex ecclesiâ S. Christophori abbatiæ nuncupatae Castri Durantis, et ecclesiam cathedralem S. Angeli nuncupatam ex ecclesiâ archipresbyteratus nuncupati oppidi S. Angeli in Vado in provinciâ Massæ Trabariæ provinciæ Urbinatensis erexerimus, et pro dioecesi episcopatus Urbaniæ districtum ecclesiasticum dictæ abbatiæ nunc suppressæ S. Christophori assignaverimus (excepto territorio seu districtu S. Angeli, quod pro dioecesi eiusdem episcopatus S. Angeli assignavimus) easdemque ecclesias cathedrales Urbaniæ et S. Angeli ad invicem aequè principaliter erectas univerimus, pro uno episcopo qui verbo et exemplo disciplinæque ecclesiasticæ populos prædictarum civitatum invicem unitarum pasceret et instrueret, prout in litteris apostolicis desuper expeditis latius continetur<sup>1</sup>:

Nunc oppidum Mercatelli Urbaniæ,

§ 2. Verum, quia, ut accepimus, prædictæ dioeceses non multum amplæ sunt, et prope illas extant terræ seu oppida Mercatelli et Lamolæ, quæ, cum sint, ut prætenditur, nullius dioecesis, melius in spiritualibus ab episcopo quam ab alio inferiori poterunt gubernari: ideo nos, volentes dioeceses prædictas ampliare, et subditis præfatarum terrarum seu oppidorum Mercatelli et Lamolæ, eorumque gubernio et regimini quoad spiritualia consulere, tenoresque et compendia indulgentiarum et privilegiorum, etiam apostolicorum, eisdem terris seu oppidis, tam per Romanos Pontifices prædecessores nostros, quam per quoscumque alios cuiuscumque dignitatis, etiam ecclesiasticæ, status, gradus, conditionis et qualitatis, etiam speciali notâ dignos, quomodolibet et quancumque, causâ quantumlibet rationabili, favorabili, publicâ et piâ, etiam in corpore iuris clausâ, etiam hic spe-

<sup>1</sup> Quas vide in loc. cit. in notâ ad rubric. (R. T.).

cialiter exprimendâ et inserendâ, concessorum et emanatorum, ac etiam pluries approbatorum et confirmatorum, ac usu etiam antiquissimo receptorum, pro plene expressis et insertis habentes, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eandem terram seu oppidum Mercatelli, eiusdemque districtum, quoad iurisdictionem ecclesiasticam, per archipresbyterum ecclesiæ collegiatae dictæ terræ hæctenus exerceri solitam, eidem dioecesi ecclesiæ Urbaniæ perpetuo sine alicuius præiudicio annectimus et incorporamus, eandem iurisdictionem ecclesiasticam super ecclesiis et personis quibuscumque eiusdem terræ seu oppidi Mercatelli eiusque districtus exerceri solitam, et aliâs quomodolibet prædicto archipresbytero competentem, eidem episcopatus ecclesiæ Urbaniæ et episcopo præfatae ecclesiæ nunc et pro tempore existenti etiam perpetuo damus et concedimus, statumque et essentiam nullius dioecesis etiam perpetuo tollimus, extinguimus et abrogamus, eandemque terram seu oppidum Mercatelli, quoad spiritualia et alia ad forum ecclesiasticum spectantia, eidem episcopatus Urbaniæ pro suæ dioecesis ampliatione subiicimus, exceptis tamen illis sex ecclesiis parochialibus, quæ sitæ<sup>2</sup> sunt in temporali territorio, olim terræ seu oppidi, nunc autem præfatae civitatis S. Angeli, quas ecclesias, earumque parochias et parochianos, necnon prædictam terram seu oppidum Lamolæ, eiusdem<sup>3</sup> districtum ecclesiasticum, ac iurisdictionem ecclesiasticam in illius et illarum ecclesias et personas per abbatem seu commendatarium exerceri solitam<sup>4</sup>, eidemque<sup>4</sup> dioecesi ecclesiæ ca-

<sup>1</sup> Male edit. Main. legit *sita* (R. T.).

<sup>2</sup> Forsan legendum *eiusque* (R. T.).

<sup>3</sup> Male edit. Main. legit *solitum* (R. T.).

<sup>4</sup> Simpliciter legendum *eidem* (R. T.).

Et terram Lamolæ episcopatus S. Angeli quoad iurisdictionem ecclesiasticam addicit.

thedralis S. Angeli, quoad spiritualia, pro ipsius dioecesis ampliatione, etiam perpetuo sine alicuius præiudicio annectimus et incorporamus, statumque et essentiam nullius dioecesis etiam perpetuo tollimus et extinguimus et abrogamus, eamque terram seu oppidum Lamolæ quoad spiritualia, et alia ad forum ecclesiasticum spectantia, eidem episcopatus S. Angeli subiicimus et supponimus.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes præsentis litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad ea minime vocati et auditi, minusque causæ, propter quas eadem præsentis emanaverint, adductæ, verificatæ seu iustificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis et nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis horis, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ vel iustitiæ remedium impetrari seu quomodolibet concedi, et aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra<sup>1</sup>, sed illas semper validas, firmas et efficaces extare et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super, etc., attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostrâ de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis constitu-

<sup>1</sup> Heic deest verbum *posse* (R. T.).

tionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, etc., et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque, etc., derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die xx octobris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV;

Dat. die 20 octobris 1636, pontif. an. XIV.

#### DLIX.

*Quod de cetero nullus fratrum de Observantia in guardianum aut magistrum novitiorum in conventibus Recollectorum provinciæ Granatensis deputari possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, dilecti filii fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum provinciæ Granatensis in regnis Hispaniarum, dum a provincialibus non Recollectis, sed de Observantia dumtaxat, gubernantur, diversa inconvenientia sive incommoda experti sint, quoniam provinciales prædicti conventibus Recollectorum guardianos præficiunt similiter de Observantia, qui rigorosæ exactæque regulæ disciplinæ observantiæ, sub cuius regulis ipsi Recollecti vivunt, minus assueti, modorumque et coerectionum eorumdem Recollectorum nescii, multis relaxationibus abusibusque ansam præbent, non sine regulæ et normæ vivendi

Motiva huius Constitutionis.

<sup>1</sup> Ne iam indicata otiose repetam fas sit recensere Clement. VII Const. XLIII, *In suprema*, tom. VI, pag. 155.

arctioris eorumdem recollectorum praeiudicio; praeterea iidem fratres de Observantia Ordinis sui professores ad eosdem fratres Recollectos facile mittere consueverint, qui quidem fratres de Observantia, ad eosdem Recollectos ut praefertur missi, ad pristinum eorum vitae institutum saepe saepius redire volunt, non sine scandalo et eorumdem Recollectorum perturbatione:

Decretum, de quo in rubrica.

§ 1. Nos, felici eorumdem Recollectorum regimini et gubernio, eorumque quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus et ordinamus; quod de cetero nullus in guardianum, definitorem, nec magistrum novitiorum in conventibus eorumdem fratrum Recollectorum deputari, eligi, seu aliâs assumi aut constitui possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit, et inter eosdem Recollectos per sexennium ad minus vixerit, iuxta eorumdem Recollectorum constitutiones, quas in hac parte ex certâ scientiâ nostrâ, quo autem ad reliqua illarum capitula dummodo sint in usu et non sint revocata neque sub aliquibus revocationibus comprehensa sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis regularibusque eorumdem Recollectorum institutis non adversentur, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apo-

Confirmatio statutorum fratrum Recollectorum.

stolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 2. Insuper, quod etiam de cetero fratres de Observantiâ praedicti ad Recollectos huiusmodi transire non possint absque eorumdem Recollectorum consensu, seu maioris partis eius conventus, ad quem transire quilibet voluerit; quodque ii ex Observantibus praedictis, qui ultra tres vices transitum huiusmodi fecerint, inter eosdem Recollectores amplius admitti nullo modo valeant, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, pariter statuimus et ordinamus.

Transitus ad Recollectos.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis dicti Ordinis superioribus quocumque nomine nuncupatis, sub privationis officiorum, ac excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis ipso facto incurrendis, ne constitutiones, ordinationes et statuta eorumdem fratrum Recollectorum quovis praetextu alterare, mutare seu abrogare audeant vel praesumant, ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Poenae contra inobedientes.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomo-

Derogatio contrariorum.

dolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorem fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die xxv octobris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 3 decembris 1636, pontif. anno XIV.

#### DLX.

*Declarat ministrum generalem fratrum Reformatorem Discalceatorum congregationis Hispaniarum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum post sui electionem nullâ indigere confirmatione.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Causae faciendae declarationis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Annunciatione, fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Discalceatorum nuncupatorum congregationis Hispaniarum procurator generalis, quod aliâs, postquam nos per nostras sub plumbo de anno MDCXXXI expeditas litteras incipientes: *Salutaribus Apostoli monitis*, fratribus Discalceatis huiusmodi facultatem eligendi ex ipsis fratribus Discalceatis in suo generali capitulo unum ministrum generalem, iuxta formam in dictis litteris praescriptam, a superioritate ministri ge-

neralis fratrum eiusdem Ordinis Calceatorum penitus et omnino exemptum concessimus, ipse minister generalis congregationis huiusmodi in dicto capitulo noviter electus confirmationem suae canonicae electionis a nobis, tanquam praelati a Summo Pontifice immediate dependentis, obtinuit. Sed ne imposterum dicta congregatio in illius regimine interim, dum litterae confirmationis sui ministri generalis a Sede Apostolicâ impetrantur, detrimentum aliquod patiatur, nobis propterea dictus Ioannes procurator generalis huiusmodi humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, prospero felicique dictae congregationis regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Ioannem procuratorem huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus capitulum generale fratrum Discalceatorum Ordinis et congregationis huiusmodi, pro illius ministri generalis electione faciendâ legitime congregatum, electionem ministri generalis huiusmodi in dicto capitulo generali factam iuxta formam in dictis litteris praescriptam confirmare libere et licite possit et valeat, ita quod minister generalis huiusmodi noviter electus et a capitulo generali confir-



matus, nullâ aliâ confirmatione unquam indigeat sed statim possit exercere officium ministri generalis totius congregationis fratrum Discalceatorum huiusmodi, cum ipsismet auctoritate, facultatibus et praeeminentiis aliis superioribus generalibus aliorum Ordinum ex privilegio apostolico vel aliâs quomodolibet competentibus et concessis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 3 decembris 1636, pontif. anno XIV.

DLXI.

*Licentia erigendi Romae ecclesiam, hospitium et collegium pro nationibus provinciae Marchiae.*

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali,  
Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,  
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exposuit nobis nuper dilectus filius noster Ioannes Baptista tituli sancti Sylvestri presbyter cardinalis Pallottus nuncupatus, tam suo proprio quam nomine ceterorum nationalium provinciae Picenae in almâ Urbe nostrâ commorantium, quod ipse cardinalis, ceterique nationales, pro eximio atque singulari quem erga beatissimam Virginem Mariam Lauretanam gerunt devotionis affectum<sup>1</sup>, et ad promovendum peramplius eiusdem beatissimae Virginis Mariae cultum, spiritualique eorumdem nationalium et aliorum christifidelium aedificationi consulendum, unam in almâ Urbe nostrâ ecclesiam, oratorium, hospitale, necnon collegium alumnorum pro nationibus provinciae Marchiae sub denominatione almae Domus beatissimae Virginis de Laureto nationis Picenae construere et aedificare posse summopere desiderent, si nostra ad id eis licentia suffragetur et facultas.

Piceni Romae collegium, ecclesiam, etc., erigendi petunt facultatem.

§ 2. Nos, qui negotium huiusmodi per te et congregationem Visitationis Apostolicae mature examinandum, considerandumque commisimus, habitâ de eo opportunâ et sufficienti relatione, piis dictorum Ioannis Baptistae cardinalis, ceterorumque nationalium votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas

Urbanus assentitur.

<sup>1</sup> Aptius legeres *affectu* (R. T.).

fore censes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi per praesentes iniungimus, ut Ioanni Baptistae cardinali, ceterisque nationalibus praedictis, in almâ Urbe nostrâ, et loco ad id decenti ac congruo, unam ecclesiam, oratorium, hospitale, necnon collegium alumnorum pro nationibus eiusdem provinciae Marchiae sub denominatione almae Domus beatissimae Virginis de Laureto nationis Picenae, sine tamen alicuius praeiudicio, ac servatis aliâs servandis, construendi et aedificandi, seu construi et aedificari faciendi (ita tamen, ut donationes et legata nunc et pro tempore facta et facienda ecclesiae beatissimae Mariae Lauretanae Urbis spectare debeant ad ecclesiam beatissimae Mariae Lauretanae Pistorum, nisi constet de voluntate donantium vel legantium in favorem ecclesiae nationis Picenae) licentiam et facultatem auctoritate nostrâ concedas.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI decembris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 31 decembris 1636, pontif. anno XIV.

DLXII.

*Confirmatio decreti, videlicet, praecedentiam in processionibus in civitate Oriolensi competere Augustinianis supra Franciscanos Recollectos et Discalceatos.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex incumbenti nobis apostolici muneris debito ad ea mentis nostrae aciem assidue intendimus, per quae christifideles sub suavi religionis iugo Altissimo famulantes, sublatis obstaculis, in quietis et pacis amoenitate vota sua Domino reddant, ac

felicioribus in viâ mandatorum eius proficiant incrementis.

§ 1. Nuper siquidem a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequens, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis rituum.

Orta controversiâ circa praecedentiam in processionibus inter regulares Recollectos conventus S. Annae et Discalceatos S. Gregorii Ordinis sancti Francisci de Observantiâ civitatis Oriolensis ex unâ et regulares conventus S. Augustini Ordinis Eremitarum sancti Augustini eiusdem civitatis partibus ex alterâ: sacra rituum congregatio, citatis saepius et auditis utriusque partis procuratoribus, et utrâque parte informante, censuit, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Verospii, praecedentiam et digniorem locum in processionibus tam publicis quam privatis competere et deberi Augustinianis supra Franciscanos Recollectos et Discalceatos, iuxta dispositionem Bullae Gregorii XIII, quae incipit *Exposcit*, sub die XV iulii MDLXXXIII editam: et hoc, sive dicti Recollecti et Discalceati in praedictis processionibus incedant coniunctim, sive divisim: et ita imposterum inter dictas partes in civitate Oriolensi servari mandavit: quibus propterea in praemissis perpetuum silentium imposuit. Die XX decembris MDCXXXVI.

Confirmatur ab Urbano.

§ 2. Nos, quo decretum huiusmodi firmitus subsistat, exactiusque ab omnibus observetur, illud cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illud necnon praesentes litteras semper et perpetuo valida firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios

et integros effectus sortiri et obtinere, ac fratribus Augustinianis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, necnon ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari perpetuo; sicque ab omnibus censeretur, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, ubique et in quavis instantiâ iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus.

Exequutorum deputatio.

§ 3. Quocirca venerabili fratri episcopo Oriolensi, seu dilecto filio officiali Oriolensi, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum Augustinianorum huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque fratribus Augustinianis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula ab iis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari, eosdemque fratres Augustinianos praemissorum commodo et effectu quiete et pacifice frui et gaudere, non permittentes illos per aliorum quorumvis Ordinum et institutorum regulares, in praemissis quovis praetextu, causâ, vel occasione, aut aliâs quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, vel impediri.

Contravenientium poenae.

§ 4. Contradictores quoslibet et rebelles, aut aliâs in praemissis non parentes, seu sese quomodolibet opposcentes, eisque auxilium, consilium vel favorem publice

vel occulte, directe vel indirecte quomodolibet praestantes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis Ordinum, congregationum, illorumque domorum et locorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque derogatoriis derogatoriis, aliisque decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 12 ianuarii 1637, pontif. anno XIV.

### DLXIII.

*Confirmantur constitutiones collegii Naubertini Carmelitarum Parisiensium antiquae observantiae<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

In supremo apostolatus solio meritis licet imparibus immensâ Redemptoris no-

Proosmium.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

stri benignitate constituti, inter ceteras apostolicae servitutis curas illa nos iugiter sollicitos habet, ut religiosi viri, sub strictioris observantiae regulis Altissimo famulantes, felicioribus in dies<sup>2</sup> viis Domini proficiant incrementis. Quamobrem, si quâ<sup>3</sup> propterea facta fuisse comperimus, illa, quo firmiter subsistant, exactiusque observentur, apostolicae nostrae confirmationis munimine roboramus, prout ad Dei gloriam, felicemque ipsorum religiosorum statum et directionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Prior generalis Ordinis pro regimine collegii Naubertini nonnullas edit constituitiones.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Theodorus Stratius, Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo antiquae observantiae regularis prior generalis, quod pro felici prospereque domus regularis Parisiensis et collegii Naubertini dicti Ordinis regimine et gubernio nonnullae constitutiones editae fuerunt tenoris subsequentis, videlicet:

Frater Theodorus Stratius, magister et humilis prior generalis Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo antiquae observantiae regularis.

Ea est humanarum rerum natura et conditio, ut quae aliquando iustis suadentibus causis tanquam bono publico conducentia fuerunt approbata, postea expediens sit aliis non minus iustis causis, rerum temporumque qualitatibus pensatis, illa alterare, et interdum etiam penitus immutare et revocare. Hinc, licet aliâs felicitis recordationis Leo X et Hadrianus VI congregationem quamdam Albiensem nostri Ordinis in regno Galliae, domos Albiensem, Melodunensem, Parisiensem, Tolosanam et Rothomagensem amplectentem, confirmaverint, multisque privilegiis locupletaverint, nihilominus postea Gregorius XIII pariter felicitis recordationis, certior factus quod fratres privilegiis dictae congrega-

tionis abutentes a pristinis institutis valde defecerant, et in praecipuum corruerant, ad instantiam Henrici III Francorum regis christianissimi, per constitutionem editam anno MDLXXXII kalendis maii, dictam congregationem extinxit, eiusque domos et oratoria suis provinciis seu propinquiorebus Ordinis retribuit; domum autem et collegium Parisiense sub auctoritate prioris generalis reposuit, statuitque, ut in eo collegio classes grammaticae, rhetoricae, logicae, philosophiae et theologiae numquam deessent, ibique regularis disciplina summe observaretur, et omnes studentes ibi professi, aut professuri, modo in eo residerent, locum et vocem activam et passivam haberent, unâ cum magistris, graduatis gradu saltem baccalaureatus formati, regentibus et aliis eiusdem domus officialibus et provinciarum Galliae in eo manentibus, quadriennio tamen professis et in ordinibus sacris constitutis; prior autem ipsius domus, iuxta formam a concilio Tridentino praescriptam, ab habentibus auctoritatem eligeretur, et a patre generali ad instar provincialium ad triennium confirmaretur; nec huiusmodi electio fieret nisi praesidente ibi vicario, aut commissario a priore generali deputato; item quod officiales dicti collegii ex aptioribus, qui in quibusvis domibus et locis cuiuscumque provinciae Galliae nostri Ordinis reperirentur, licet electionis tempore in ipsis domo et collegio non residerent, eligerentur, qui sic electi huiusmodi officia in virtute sanctae obedientiae susciperent, et, si reluctassent, poenam privationis et inhabilitatis ad quaecumque alia officia et gradus Ordinis concurrerent<sup>1</sup>. Ceterum decursu temporis fratres quoque in dictâ domo et collegio degentes, privilegio immediatae subiectionis generali et aliis similiter male utentes, ad vitam laxiorem se converterunt,

<sup>1</sup> Iterum repetenda praep. in (R. T.).

<sup>2</sup> Edit. Main. legit quae (R. T.).

<sup>1</sup> Legendum *incurrerent* (R. T.).

et tamquam suae propriae professionis obliti, tam licentiosam vitam agere coeperunt, ut disciplinam regularem contemnere viderentur, essentque secularibus ipsis in scandalum. Et, licet nos ad eos reformandos non semel viros graves et prudentes commissarios aliàs destinaverimus, ab eis tamen ob dictorum fratrum renitentiam et contradictionem nihil ad votum fieri potuit: et tandem adeo crevit illorum vivendi libertas, ut eà offensus piissimus et christianissimus Ludovicus rex, qui modo feliciter regnat, praecipuo zelo restaurandae observantiae in praefatà domo et collegio accensus<sup>1</sup>, superioribus religionis significaverit, sibi pergratum fore, si illius reformatio ab eis efficaciter procuraretur. Cui tam pio voto nos cupientes, ut ex debito officii nostri tenemur, satisfacere, instituimus commissarium nostrum cum auctoritate reformandi dictam domum et collegium patrem fratrem Antonium a S. Martino nostrae provinciae Turoniae professum sacerdotem, qui, consideratis omnibus considerandis, et praevis gravium patrum Ordinis consultatione, tandem in hanc devenit<sup>2</sup> sententiam, quod nullà ratione collegium praefatum reformari poterat, nisi in illud reformatio Rhedonensis eiusdem provinciae Turoniae introduceretur, et inde omnes religiosi, qui talem observantiam amplecti recusarent, amoverentur et in alios provinciarum Galliae conventus mitterentur; et statim praefatae observantiae introductioni fortiter et feliciter divinà cooperantè gratià manu admove coepit. Cupientes modo nos dictam inchoatam reformationem ad perfectum statum reducere, et constantius stabilire, duximus nonnulla statuere sub correctione sanctae Sedis Apostolicae et reservatà eius confirmatione.

<sup>1</sup> Male edit. Main. legit *acceptus* (R. T.).

<sup>2</sup> Aptius lege *devenit* (R. T.).

Cum igitur evidentissime constet, pietatis, disciplinae regularis et litterarum studia in nostro Parisiensi conventu et collegio Naubertino iam pridem labefactata esse, et post tentatam non semel a nobis illius reformationem omnia in peius abiisse; cumque quisque probus ex regularibus eiusdem conventus et collegii, tum conventualibus, tum studentibus, eius reformationem petierit et efflagitaverit; et ex eorum postulatione certoque examine agnoverimus, radicem omnium malorum extitisse partim ipsos conventuales in dicto conventu et collegio commorantes, qui, cum immediate subessent generali, numquam serie visitabantur, tum magnum numerum studentium in factiones et discordias propter provinciarum partes saepius abeuntium; et patuit insuper nobis, quod ex septem provinciis, quas noster Ordo habet in Gallia, tres tantum, aut quatuor ad summum, in dictum collegium, ob regularem observantiam in eo deperditam et meram studiorum ruinam, studentes mittebant; quae mala si repararentur, pietatis et doctrinae fructus per totam fere Galliam cum maximà Ecclesiae utilitate et nostri Ordinis glorià diffunderentur: nos, ut submoveamus quae pravus usus regiminis dicti conventus et collegii Naubertini invexit:

I. Statuimus et declaramus, conventum nostrum Parisiensem Naubertinum solum fore et esse collegium studiorum, ita ut in eo amplius non existant, nominenturque conventuales, servatà tamen eius immediatà subiectione priori generali Ordinis; ac, ne ob talem immediationem defectu visitationis in eo iterum disciplina regularis aliquam patiatur iacturam, cum pater generalis semper longe absit, et in praesentiarum provincia Turoniae ex ceteris Galliae provinciis sit illa in qua nunc magis viget perfecta et solida ob-

<sup>1</sup> Male edit. Main. legit *disciplinae* (R. T.).

Sequuntur  
constitutiones.

servantia, volumus, ut ab eius provinciali tamquam commissario prioris generalis pro tempore (nisi ab eo alius commissarius fuerit deputatus) cum suo socio ordinario singulis annis visitetur, cui tamen per ipsum generalem, quoties ei videbitur expedire, alius socius ex alià provincià reformatà in Gallià adiungi poterit. Et, si quando priori generali placuerit aliquem commissarium ex aliis provinciis Galliae reformatis nominare et assignare visitatorem, semper erit concommisarius, nisi aliter disposuerit ipse generalis pater provincialis Turoniae, saltem quousque aliae in Gallia provinciae sint reformatae iuxta novas constitutiones pro provinciis reformatis et reformandis compilatas, et a Sanctissimo Domino nostro Urbano-Papa VIII confirmatas, et eas esse reformatas declaraverit pater Ordinis; tunc enim ex illis omnibus eligi poterit ad libitum a generali commissarius, qui solus valeat dictum collegium visitare: quod si ab eo nullus alius fuerit institutus, semper commissarius et visitator sine alià institutione erit pater provincialis Turoniae.

II. Ut dictum collegium semper floreat in studiis, maiusque incrementum in dies suscipiat, ordinamus, quod in eo numquam desint classes artium, logicae, videlicet, philosophiae, inclusà etiam metaphysicà, theologiae ac diversarum linguarum.

III. Et, quia solum debet esse collegium studiorum et pro studentibus ut dictum est, decernimus, ne in illo deinceps admittantur aliqui ad habitum, vel ad professionem; et, si qui superiores contra istud decretum facere praesumpserint, incurrant in sententiam excommunicationis et in privationem suorum officiorum, necnon in perpetuam inhabilitationem ad similia et alia officia religionis.

IV. Cum autem per dictum patrem Antonium a S. Martino commissarium no-

strum patribus Observantiae Rhedonensis cura et administratio dicti collegii concedita fuerit, et ex illà pro eius reformatione multi religiosi subministrati fuerint, decernimus et statuimus, ut etiam imposterum, donec aliter provisum fuerit per patrem Ordinis, patres provinciae Turonensis in dictà curà et administratione perseverent, domus regimen tam temporale quam spirituale habeant, litterarum studia dirigant, regularisque vitae disciplinam adstruant ad normam et formam mox tradendam.

V. Exhibebit igitur dicta provincia semper collegio Naubertino quindecim patres consiliarios viros doctos, probos et prudentes, non tamen actu studentes, per provincialem et definidores provinciae assignandos, qui in regimine et administratione domus priori assistant, duos pro concionibus habendis, quatuor pro confessionibus audiendis, et aliquot fratres laicos pro necessariis ministeriis, quem tamen numerum et augere et minuere poterit pater ordinarius pro suà prudentià.

VI. Et quia ad hunc finem cura et administratio collegii patribus provinciae Turoniae demandata est, quo per eos perfecta observantia dictae provinciae in illud introducatur et introducta perpetuo conservetur, mandamus, ut imposterum omnes fratres pro tempore in collegio commorantes vivendi rationem et formam ipsius provinciae Turoniae, iam longà experiencià cum magno nostrae religionis splendore in multis Galliae conventibus et praesertim Lutetiae in conventu SS. Sacramenti comprobata, amplexentur sine ullà immutatione, additione vel detractione.

VII. Cumque nunc in collegio magnus sit professorum numerus, quorum plurimi dictam observantiam renuunt, et propterea inde sunt amovendi, in aliosque provinciarum Galliae conventus distribuendi,

praecipimus patribus provincialibus, ad quos dicti fratres missi fuerint, ut eos tamquam provinciae alumnos cum voce et loco in illâ suscipiant, eisque sicut ceteris de victu et vestitu imposterum provideant, sub poenâ rebellium; nec eos sub praetextu agendi negotia vel ob aliam causam Lutetiam ad standum et commorandum in dicto collegio remittere, nec superiores collegii recipere praesument, sub eadem poenâ. Si qui vero perpaucitate et virtute maturi in collegio relinquuntur<sup>1</sup>, cum reverentiâ tractentur et cum charitate de bonis ipsius collegii alantur et vestiantur, sed ipsi etiam omnia bona, quae ad usum suum privatum habuerint, statim superiori collegii cum ceteris illius bonis incorporanda et confundenda fideliter tradent sub proprietariorum poenâ; et qui ob complexionis imbecillitatem superiori disciplinae idonei non fuerint, nigro et consueto habitu induti solum tenebuntur vivere iuxta generalia Ordinis statuta et ordinationes libri visitationis, demptis nonnullis perfectae disciplinae regulari non adeo congruentibus; vivent autem semper sic honeste et humiliter, ut ad regimen domus non aspirent, et collegii negotiis nullo modo se ingerant. Quam vitae rationem si amplecti noluerint, volumus ut et ipsi sine morâ in designandos vel designatos sibi conventus discedant, ne factionibus et murmurationibus pacem religiosam et debitam observantiam inturbent.

viii. Imposterum electio officialium collegii, prioris scilicet, subprioris, monitoris seu directoris pietatis, discretorum, procuratoris, sacristae et regentium, spectabit solum ad supradictos quindecim patres consiliarios de provinciâ Turoniae, necnon ad unum studentem de qualibet ex septem provinciis Galliae professione antiquiorem, et ad duos etiam inter conventuales pro-

<sup>1</sup> Forsan legend. *relinquantur* (R. T.).

fessione maiores, quamdiu aliqui ex eis supererint: nec quisquam aliorum, praeter dictos viginti quatuor, aut, cum nulli ex conventualibus extiterint, viginti duos, dictis electionibus se immiscebit sub poenâ rebellionis et expulsionis a conventu; et electio quidem prioris fiet praesidente patre provinciali Turoniae, ut commissario patris generalis, si de alio commissario per generalem non fuerit provisum; electio autem aliorum officialium fiet praesidente patre priore collegii.

ix. Ex dictis quindecim consiliariis semper eligendus est subprior, monitor, duo clavarii, procurator, sacrista, duo regentes in theologiâ et unus in artibus; prior autem eligi poterit ex quacumque provinciâ Galliae, quae sit reformata iuxta praedictas novas constitutiones, licet electionis tempore in ipso collegio non resideat. Similiter ex quacumque provinciâ reformatâ eligi poterit regens diversarum linguarum, secundum quod in eâ aptior et magis idoneus ad tale munus repertus fuerit; et qui fuerint electi ad dicta officia, in virtute sanctae obedientiae illa suscipient: quae si recusaverint, poenam privationis et inhabilitatis ad quaecumque alia officia incurrunt.

x. Haec autem forma servanda est in electione prioris collegii. Ubi celebratum fuerit, ut moris est, capitulum culparum, et emissi<sup>1</sup>, qui non habuerint locum et vocem in electione, assumendi sunt tres patres scrutatores de ipso gremio, quorum munus (praestito per illos prius iuramento in manu praesidentis de rite et fideliter peragendo eorum officio) erit vota singulorum eligentium scripta et complicata excipere in capsulâ vel pixide, deinde illa extrahere, evolvere, inspicere et publicare; quibus publicatis, et factâ eorum collatione, illum, in quem omnes vel maior pars totius collegii consenserit, pater

<sup>1</sup> Videretur legendum *emissis* (R. T.).

praesidens nomine omnium eliget in hunc modum: *Ego N. auctoritate mihi commissâ meo et horum omnium eligentium nomine eligo et denuncio in priorem huius collegii Naubertini patrem N.* Quod si in primâ electione in nullum maior pars consenserit, electio reiterabitur usque tertio; et si contigerit nec in tertiâ electione maiorem partem in unum consensisse, qui plura habuerit vota, quam aliqui alii, eligendus erit a praesidente nomine omnium modo quo supra; et statim coram gremio comburendae sunt omnes votorum schedulae; et advertendum quod ante electionem praelegendae sunt constitutiones de requisitis eligendi in priorem, vocalesque curare debent quod eligant probiorem et meliorem secundum dictamen suae conscientiae, ita enim statuit Clemens VIII felicitis recordationis in decretis pro reformatione regularium editis.

xi. Quod si evenerit ut provincialis Turoniae ad praedicta officia electos ob iustam causam a collegio vel ab officio amovendos esse iudicet, id facere poterit etiam extra visitationem tamquam commissarius generalis (alio commissario non instituto a generali); excipiendus tamen est prior, cuius amotio solum pertinebit ad patrem generalem. Tunc viginti quatuor supradicti in eorum locum eligent de eadem provinciâ alios, qui fuerint per provinciam et definitores provinciae assignati, si capaces extiterint, alioquin supplebuntur de provinciâ Turoniae, reservatâ tamen facultate generali aliter providendi. Licet autem prior collegii nequeat amoveri ab officio nisi a patre generali vel ab aliquo de eius speciali commissione; nihilominus, si quis praesumpserit se indebite et iniuste ab illo aggravatum fuisse, poterit recurrere ad provinciam Turoniae, qui illi tamquam commissarius generalis iustitiam ministrabit.

xii. Prior sic electus confirmandus est utique ad triennium a patre generali, quippe quia locum et vocem habet ad instar provincialium in capitulo generali; poterit tamen interim, dum confirmationem generalis expectabit, provincialium more plenâ auctoritate suas functiones exercere; et si prior electus fuerit in aliquâ provinciâ, statim sine ullâ excusatione mittetur a provinciali, nisi in provinciam alicuius provinciae fuisset electus; tunc enim alius prior erit eligendus a collegio.

xiii. Facienda est electio prioris tempore tam competenti et opportuno, quod sui officii confirmationem recipere valeat a generali ante celebrationem capituli provincialis Turoniae, et propterea eius electio non est differenda ultra mensem octobris illius anni, qui celebrationem capituli praefatae provinciae praecedet; et ne ordo dictae provinciae inturbetur, electio officiorum, quae iam facta est hoc anno mdcxxxvi, finiet post pascha, et tunc alia fiet de novo; at electio prioris solum pro hac vice durabit per quinquennium usque ad annum mdcxli; et si evenerit quod pater generalis ob aliquam iustam causam capitulum provinciale Turoniae distulerit ultra triennium, idem faciet si ei placebit de priore collegii; alii autem officarii eligentur per capitulum provinciale, ubi tamen ab ipso capitulo assignati fuerint consilarii et regentes in collegio, uti fieri solet in aliis conventibus.

xiv. Per hactenus statuta intentio nostra non est ius, quod habent omnes provinciae Galliae mittendi studentes ad collegium Naubertinum abrogare et auferre. Nihilominus, ne ob conservationem talis iuris reformatio collegii aliquo pacto unquam imminuatur, statuimus, ut deinceps nullus studendi causâ in dictum collegium mittatur nisi a provinciali et patribus definitoribus provinciae, cuius fuerit alu-

mnus, quique non compleverit novitiatum et unum saltem annum in conventu efficaciter reformato iuxta novas constitutiones a Sanctissimo approbatas, et quem reformatum esse declaraverit pater generalis pro tempore.

xv. Volumus etiam ut ex illis provinciis reformatis, et talibus a generali declaratis, unus eligatur ex tribus lectoribus in theologia, unus quoque in artibus, si qui inter eos fuerint capaces, duo item clavarii (numquam tamen duo ex eadem provinciâ ad ea officia simul eligentur), et sic electus, vices supplens antiquioris ex suâ provinciâ, illam eiusque iura in administratione collegii repraesentabit: reliqui autem omnes officarii collegii erunt de provinciâ Turoniae, generali aliter non disponente, ut supra iam dictum est; et provincialis dictae provinciae Turoniae, dum commissarius generalis fuerit, non permittat iuxta suae provinciae usum aliquos in collegio, sive laicos, sive patres consiliarios, aliosve praeter studentes commorari ultra tres, vel ad summum sex annos, exceptis lectoribus in artibus et in theologia secundo et tertio, qui per plures annos, si illustriores fuerint in doctrinâ, poterunt in lecturâ continuare.

xvi. Et ne aliquid per ista nostra decreta sanctionibus et usibus facultatis Parisiensis detrahatur, concedimus, ut ex omnibus provinciis praesentari possint studentes ad gradus et doctoratum, ut moris est, dummodo graduati nullo fruantur privilegio in provinciis vel conventibus reformatis, sed solum in ipsâ universitate; et, ne exceptio personarum noceat, septem provinciae Galliae, videlicet, Narbonae, Franciae, Aquitaniae, Provinciae, Tolosae, Vasconiae et Turoniae, iuxta ordinem in statutis antiquis praescriptum, graduandos praesentabunt; nimirum in primâ licentiâ, per nominationem provinciali et definitoribus provinciae generali factam et per

promotionem ipsius patris generalis, praesentabuntur priori Parisiensi et doctori primario duo e provinciâ Narbonae et duo e provinciâ Franciae, in secundâ duo e provinciâ Aquitaniae et duo e provinciâ Provinciae, in tertiâ duo e provinciâ Tolosae et duo e provinciâ Vasconiae, in quartâ duo e provinciâ Turoniae et duo e provinciâ Narbonae, et sic per vices et ordinem seu circulum; quod si aliqua provincia ordine praescripto duos e suis minime praesentaverit, sequens supplebit; isque ordo in libro conventus describetur.

xvii. Ut autem ambitiones honorum, immoderatae cupiditates, excursionses et similia monasticae vitae repugnantia prorsus evitentur, districte prohibemus, ne ulli studentium in collegio Naubertino locum et praecedentiam seu sedis praerogativam in licentiis ambient et captent pro se, alioquin eorum praesentatio nulla sit, et nullius valoris. In praesentatione graduandorum a collegio faciendâ in universitate Sorbonae, ut omnis ambiendi occasio tollatur inter studentes, nationes et provincias e nominatis ut supra, praesentatio fiet per electionem canonicam a priore et viginti quatuor consiliariis, praemisso iuramento de digniore eligendo iuxta dictamen propriae conscientiae.

xviii. Baccalauri et licentiati regulas omnes et leges inclitae facultatis in eâ observabunt; sed alibi, puta in ecclesiâ, capitulo, processioneibus et similibus, tam extra quam intra conventum, nullo prorsus privilegio, praecedentiâ, voce et loco aut exemptione eo praeciso titulo gaudebunt, cum ista privilegia, ob eorum abusum, omnium fere malorum radix hactenus extiterint: sed exceptis consiliaris viginti quatuor, ut mox dicitur, omnes indiscriminatim locum praecedentiae habebunt secundum antiquitatem temporis, quo in collegio recepti fuerint, ita ut prior locus<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Vel hic lege loco, vel post ei pro is (R. T.).

sit is, cuius nomen prius in catalogo studentium fuerit matricolatum; si duo simul advenerint, antiquior in ordine describetur. In nominibus quoque et appellationibus omnes sequentur constitutiones reformationis, nec vocabuntur amplius magistri, mea licentia, mea provincia, meus conventus et similia, et nullus theses imprimere vel dedicare aut praesidentem eligere poterit, absque expressâ licentiâ prioris et patrum qui illi erunt a consilio.

xix. Igitur in choro, in refectorio, in capitulo, in processioneibus, et aliis denique omnibus sequens ordo inviolabiliter servabitur, prior, subprior, primarius regens, pater monitor, et ceteri patres de consilio, quisque secundum antiquitatem professionis in ordine; reliqui omnes, tam regulares quam studentes ex quavis provinciâ secundum admissionem et receptionem in collegio, servatâ sacrorum ordinum dignitate, debent enim sacerdotio insigniti diaconos praecedere, diaconi subdiaconos, et isti alios inferiores.

xx. Patres Turoniae, aliter non disponente patre generali, habebunt semper a suâ provinciâ in collegio saltem duas partes e tribus, demptis laicis, qui solum debent esse de provinciâ Turoniae, quamvis omnibus ex aequo inservient; v. g., si collegium poterit tenere et alere centum religiosos, esse poterunt e provinciâ Turonensi sexaginta, videlicet quindecim consiliarii a provinciali et definitoribus assignandi ex quibus officarii eligantur, circa quadragintaquinque studentes, quorum conditio pro regimine et loci praerogativâ non alia erit, quam reliquarum provinciarum, et circa triginta studentes ex aliis sex provinciis, et sic deinceps, servatâ proportione, et circiter decem fratres laici: ex qualibet vero aliarum sex provinciarum poterunt mitti sex aut septem studentes, sed pro illis supplendis e provinciâ Franciae quindecim aut viginti,

donec post aliquod tempus pro collegii capacitate, de consilio patrum consiliarium, mittendorum numerus augeatur.

xxi. Ut proprietatis vitium ceterorum origo penitus eradicetur, omnes missarum, officiorum, concionumque elemosynae, ac ceterae fidelium oblationes cedent in bonum publicum collegii, nec ex stationibus et concionibus studentium, aliisve bonis, quidquam in bonum provinciae Turonensis, aut alterius convertatur ab officariis, sub poenâ furum et proprietariorum: si quis tamen e quindecim consiliariis, aut aliis non studentibus, per octavam Sanctissimi Sacramenti, per adventum et quadragesimam concionatus fuerit, elemosynae ex illis provenientes cedent in bonum provinciae iuxta illius constitutiones et laudabilem praxim, nisi eam immutandam aliquando rationabiliter iudicaverit pater generalis. Si qui actu studentes ex aliquâ ex septem provinciis per octavam SS. Sacramenti, per adventum et quadragesimam concionati fuerint, mercedem et elemosynas quas acceperint, in bonum collegii offerent; eo anno nullam pensionem solvant. Quod si elemosynae ex statione alicuius studentis pensionem collegio solvendam excedent, reliquum servabitur ad thesion impressionem, aliasque impensas doctoratus, quae a provinciis singulorum, qui ad gradus promovebuntur, vel ex singulorum conventibus solvendae essent. Si aliquando pensiones extinctae fuerint, omnium studentium conciones erunt pro huiusmodi Sorbonae impendiis, et bono collegii. Si qui ex aliis provinciis concionabuntur, posito quod non sint actu studentes, sed solum consiliarii collegii et officarii, ut licentiati aut tamquam hospites in collegio commorentur, elemosynae ex stationibus et concionibus octavae, adventus et quadragesimae provenientes cedent in bonum provinciae, cuius fuerint alumni, deductis

impensis pro itinere, victu et aliis, si a collegio subministratae fuerint. Eleemosynae, quae a quolibet tam officiariorum quam studentium colliguntur ex concionibus dominicarum et festorum per annum, tam infra urbem quam ruri in parocciis, sicut aliae omnes quocumque titulo erogatae, cedent in bonum publicum totius collegii.

xxii. Quia aequum est, ut a collegio summâ curâ et charitate omnibus aequaliter, tam officariis, seu administratoribus, consiliariis, confessoribus et concionatoribus collegii, quam studentibus sanis et aegrotis, pro victu, et etiam, si fieri poterit, pro vestitu, calefactione, chartis, calamis, libris, etc., subministrentur; nullus imposterum in collegio admittatur ad studia, pro quo provincialis et prior, a quibus mittetur, non solvat per anticipationem mediam pensionem bis in anno, scilicet in festo Exaltationis Sanctae Crucis, et in festo Paschatis Dominicae Resurrectionis, pro sacerdotibus quadraginta quinque libras cum singulis illorum missis, quas quotidie pro collegio celebrare tenebunt iuxta constitutiones reformationis, pro non sacerdotibus septuaginta quinque libras; tenebunturque singulae sex provinciae cum eâ pensione saltem quatuor studentes Lutetiam mittere studendi causâ. Poterunt tamen patres consilarii, si quando collegio Deus opes abundantius impertierit, dictam pensionem imminuere: immo optamus collegium ad talem<sup>1</sup> statum quamprimum pervenire ut nulla solvatur pensio saltem pro victu, sed certo numero studentes ex singulis provinciis gratis proportionaliter recipiantur, v. g. decem ex unâquaque provinciâ, et triginta, quamdiu aliter non disposuerit generalis, ex Turonensi, cui collegii cura et administratio commissa est. Interim, si dictus prior et provincialis non solverit pensionem per

<sup>1</sup> Edit. Main. legit tale (R. T.).

mensem, e collegio remittantur studentes, nec quisquam deinceps mittatur qui non sit de omnibus necessariis provisus, honesteque et religiose in omnibus vestitus, et semel decem aureos ingrediendo solvat pro suppellectili, quam collegium postea tenebitur resarcire et conservare in cellulis a priore, subpriore et clavariis iuxta regulam cuilibet assignandis. Item non mittantur imposterum ex provinciis studentes, nisi in temporibus Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis et sancti Remigii, cum videlicet interruptus studiorum cursus ob conciones adventus et quadragesimae et ob vacationes a decimâ die septembris usque ad finem, iterum aperietur.

xxiii. Quia vero provincia Turonensis, ut superioribus obsequeretur, obediretque, et reformationem dicti collegii iuvaret, ingentes fecit expensas, et faciet imposterum, totumque onus administrationis et praecipuas partes regularitatis sustinet; volumus ut ex illâ provinciâ solum pro decem studentibus taxata pensio solvatur, quamdiu huiusmodi pensiones non extinguantur, et quod reliqui omnes ut necessarii pro reformatione in collegio gratis admittantur, videlicet viginti quatuor consilarii ex quacumque fuerint provinciâ, concionatores duo, atque confessarii quatuor, nisi aliter circa praedicta pater generalis Ordinis pro tempore faciendum iudicaverit. Pro hospitibus ex septem provinciis, si ultra tres dies in collegio remanserint, per singulos dies pro eorum victu et suppellectili solventur sexdecim asses, alioquin dimittantur, eisdemque de vestitu sumptibus provinciae providebitur; pecunias autem omnes, si quas apud se habuerint, in manu procuratoris et clavariorum custodiendas deponent, omnesque reformationis et collegii constitutiones exacte observabunt, alioquin dimittentur.

xxiv. Provincialis Turoniae in collegio ordinarie non commorabitur, nisi durante visitatione, quam ultra quindecim dies non poterit protrahere, et si vocabitur, aut necessitas requiret, iubente generali, poterit nedum semel in anno, sed toties quoties collegium visitare. Quoties per modum hospitii in collegio erit, prior, etsi omnes alios provinciales in collegio praecedat, illi tamen praecedentiam dabit. In suâ visitatione annuâ nihil omnino praeter victum moderatum sumet a collegio, siquidem omnia habere poterit a suâ provinciâ et a conventu Sanctissimi Sacramenti, in quo poterit, si voluerit, residere; si tamen ipse aliunde vocabitur ad visitationes extraordinarias, viaticum solvetur a collegio vocante, ut moris est.

xxv. Prioris officium erit totam collegii domum regere et administrare cum plenâ auctoritate, cum assistentiâ tamen et consultatione patrum a consilio, de quibus supra. Officium subprioris in absentia prioris erit eius vices gerere; in choro autem et regularitate etiam praesente priore suum officium libere exercet. Primarii regentis in omnibus actibus studiorum, ut sunt lectiones, disputationes, etc., post priorem (si hic adesse voluerit) praesidere, disputationes moderari, theses approbare, et omnia alia agere, quae non nisi a doctore fieri decreta sacrae facultatis imperant; nullam tamen licentiam studentibus eundi extra conventum, vel redeundi, aut similem concedet. Monitoris officium erit omnes fratres praesertim iuniores dirigere et invigilare, ut semper in eis pietatis studium, orationis et scientiae mysticae amor vigeat; ideoque visitabit omnes, exhortationes habebit, culpas audiet, nisi eas audierit prior vel subprior, aliaque omnia aget iuxta regulas monitoris a constitutionibus traditas.

xxvi. Quicumque singulo anno examinatus a patre provinciali Turoniae, ut

commissarius generalis, a priore, regentibus, et tribus aut quatuor consiliariis per duos annos studens non profecerit<sup>1</sup>, sine morâ in suam provinciam remittetur; item qui post duos annos philosophiae et quatuor theologiae completos promotionem a generali non obtinuerit, qua etiam obtentâ, statim ac baccalaureus receptus fuerit, remittetur ad suam provinciam, donec tempus ingrediendi licentiam advenerit; ne longiori morâ collegium oneretur, et ut interim locus detur aliis studentibus, et ut etiam ipsi baccalaurei tempus licentiae expectantes suis provinciis valeant inservire: item, quicumque duos annos licentiae expleverit, nisi inter duos menses inaugurandus sit, rediturus<sup>2</sup> tamen quum laureâ doctoratus donandus erit, qua insignitus recedet statim in suam provinciam, nisi ad aliquod collegii officium eligatur modo quo supra. Prior, et primarius regens ultra triennium, subprior, et ceteri officarii, consilarii, concionatores, confessores et laici ultra sexennium nunquam protrahentur. Diligenterque advertant illi, quibus collegii cura commissa fuerit, ultra regularitatis et pietatis domestica exercitia, vix alia, quam doctrinae studia, veluti in collegio vigere debere: ideoque, demptis quatuor confessoriiis ordinariis, cum aliis officariis, qui diebus festis confessiones intra ecclesiam monasterii audire poterunt, et uno aut altero concionatore, rarissime et nunquam, nisi ex extremâ necessitate, mittentur ad aegros invisendos ad visitationes faciendas, et similia, quae a non studentibus tantum debent exerceri.

xxvii. Prior collegii de consilio subprioris, doctoris primarii, quatuor clavariorum et lectoris, de cuius classe unusquisque erit, studentes discipulos et irregulares cuiuscumque provinciae ter monitos, nisi

<sup>1</sup> Male edit. Main. habet profecerit (R. T.).

<sup>2</sup> Male edit. Main. legit redditurus (R. T.).

resipiscant et constitutiones observent, statim sine morâ a collegio expellat, et si quis se opposuerit, etiam ipse expellatur. Dimissus ob culpam, quae gravio-rem poenam mereatur, nunquam recipietur in collegio sub poenâ depositionis ab officio mittenti et recipienti<sup>1</sup>. Si quis a disciplinâ regulari ad fora secularia quocumque titulo vel colore appellaverit, hoc ipso excommunicatus erit, ut habeatur in statutis et in sacris canonibus.

xxviii. Nemo ad sacros ordines et ad confessarii aut concionatoris munus destinabitur nisi examinatus et approbatus a priore, subpriori, monite et duobus professoribus theologiae, cum licentiâ patris prioris in scriptis quoad confessiones et conciones, et quoad ordines cum licentiâ provincialis, de cuius provinciâ erunt ordinandi.

xxix. Ordo regularitatis intra collegium is observetur, qui in constitutionibus et in praxi provinciae Turonensis praescribitur. Si quae difficultates circa illum orientur, suffragiis prioris, subprioris, doctoris, monitoris, quatuor discretorum, seu clavariorum, duorum lectorum in theologiâ et duorum in philosophiâ decidentur.

xxx. Si huiusmodi difficultates circa regularitatem, studia, pensiones, officia, celebrationem missarum et similia maioris momenti emerint, decidentur a patre priore et a toto consilio viginti quatuor, etiam si opus fuerit, per suffragia secreta, et haec omnia in libro capituli fideliter describentur.

xxxi. Quia vero pleraque scandala ex secularium vicinitate et commixtione cum illis in choro oriuntur, diligentiam commissarii et prioris, chorus separatus statim fabricetur, vel sedilia praesentis chori sic claudantur, ut nec contactus nec prospectus inter fratres et seculares esse queat.

<sup>1</sup> Forsan legend. *mittentis et recipientis* (R.T.).

xxxii. Nullus deinceps ad studia aut officia in collegio admittatur, quin iuret, atque in libro receptionis subscribat, se omnes tam constitutiones supra nominatas, quam has leges, istave decreta observaturum, idque etiam scripto testabuntur provinciales in litteris, in quibus regulares suos Lutetiam mittent, alioquin in collegio non recipiantur. Alia multa, quae necessaria vel opportuna esse possunt pro bono regimine collegii, praescripta sunt in novis constitutionibus reformationis, quae nedum in dicto collegio, sed etiam in omnibus aliis conventibus reformatis et reformandis vigere debent.

Fr. THEODORUS STRATIUS,

generalis Carmel. Antiquae Obs. reg.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Theodorus prior generalis plurimum cupiat praeinsertas constitutiones huiusmodi, pro firmiori earum subsistentiâ et inviolabili observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut eius votis huiusmodi annuere, ac desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, domus regularis et collegii praefatorum prosperam felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, dictumque Theodorum priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones praeinsertas huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae

Idem prior dictas constitutiones apostolica auctoritate confirmari petit.

Confirmat Urbanus.

firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas necessarias apponit.

§ 4. Decernentes, easdem constitutiones ab omnibus et singulis domus regularis et collegii praefatorum fratribus et personis, sub poenis in eis contentis, inviolabiliter observari, easque ac praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, eeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv ianuarii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xiv.

Dat. die 25 ianuarii 1637, pontif. anno xiv.

#### DLXIV.

*Quod in provinciis sancti Bernardini et sanctae Mariae Magdalenae in Gallia fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum seu Recollectorum nullus omnino gaudeat privilegiis patrum provinciae.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbimus, ut religiosi viri, qui, obliti populum suum et domum patris sui, divini Numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter in spiritu humilitatis et sanctitate et iustitiâ coram ipso.

Mandat prout in rubrica.

§ 1. Hinc est quod nos, felici dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum

et Recollectorum nuncupatorum provinciarum sancti Bernardini et sanctae Mariae Magdalenae in Gallia statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, harum serie, sub excommunicationis ac privationis omnium actuum legitimorum poenis, prohibemus, ne ullus omnino in praefatis provinciis gaudeat privilegiis patrum provinciae: mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ut absolute tales patres provinciae sublatis sint, non obstante quacumque constitutione vel concessione provinciali aut aliâ quavis, exceptis tamen his qui fuerunt aut erunt in posterum patres Ordinis vel definitores generales.

§ 2. Quocirca venerabili fratri episcopo Albiensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum fuerit requisitus, solemniter publicans, et eisdem in praemissis efficaciae defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ eosdem fratres praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam, quavis auctoritate fungente, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate,

Executores deputat et transgressores puniri mandat.